





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA.  
DE

AETATE  
ET  
TEMPORIBVS  
MORBORVM,  
QVAM

Praefide Archiatro Optimo Maximo,  
Auctoritate & Suffragio Gratiissimae  
Facultatis Medicae

IN  
ALMA LVDOVICIANA  
PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores, Iura & Privilegia  
Doctoralia legitime impetrandi,  
MAGNIFICI & EXCELLENTISSIMI

SENATVS ACADEMICI

Placidae Disquisitioni submittit  
WILHELMVS RYCHNERVS.

AROVIO - HELVETIVS.  
Ad diem Novembris Ann. MDCCXVII. H. A. L. C.

GIESSAE - HASSORVM,  
Literis VIDVAE IOH. REINH. VULPII, VNIV. TYPOG.

DISSESTITIO IN VAGABUNDI MEDICAE

DE

AETATE  
DEO  
TRINVNI,  
PATRIAEE, PATRONIS,  
FAVTORIBVS  
ET  
AMICIS  
OMNIBVS.

sacrum !



## PRAEFATIO.



Uam digna res sit praesens, quod nobis tractandum sumsumus argumentum, inde satis constare poterit, quod Hippocrates Artis Medicae, quod quidem Historiam eius Practicam concernit, Scriptor eminentissimus & Medicorum omnium hoc usque facile Princeps, non tantum peculiarem veluti huic rei tractationem, Aphorismorum nempe Sectionem III. tribuat, sed & inter ea, quae Medico observanda sint, mox priore loco collocet, Aetatem & Tempus, dum Libro de Affectionibus Cap. XXXVI. Edit. Lind. sub primum statim ingressum interrogandum praecepit: Quae patiatur aeger, ex qua causa, & quot iam diebus? &c. & Libr. de Nat. Hum. Cap. XVIII. universum Medici officium enuntiaturus, de eo solidissime ita statuat: In summa Medicum scire oportet, opponere se contrarium instantibus & morbis, & naturis, &

A 2

*tempo-*

temporibus, & aetatis, & astantia solvere, & soluta  
dissendere. Quibuscum congruunt Sect.I. Aph.2.11.12.17.18.19.  
22.24. Sect.II. Aph.29.34. & numerosi alii loci, quibus haec do-  
ctrina specialius traditur & applicatur, maxime dignissimus  
ille de Aerib. Aq. & Loc. Cap. XXX. Nec ex nostris defuere,  
qui utilitatem nobilissimae huius doctrinæ perscientes, eam  
non tantum magnopere commendarunt, sed & multis modis  
amplificarunt & illustriorem reddiderunt. Quo nomine et  
curiosissima & cultissima Anglorum gente laudandus nobis  
Thom. Sydenham, sollicitissimus & perspicacissimus morbo-  
rum Epidemicorum observator, ex nostra vero Germania effert  
se Pathologiae verioris assertor atque auctor Georg. Ern. Stahl,  
qui, ut in reliquis suis, sic maxime in morbis aetatum erudiendis  
& stabiliendis Herculem sestitit, de quo quidem negotio ipse ali-  
cubi non dubitat fateri, hanc se doctrinam inter cetera, quae  
publici Iuris fecerit, digniore aliquo in loco merito habere, non  
alia profecto de causa, quam quod haec res, ipsius Iudicio, ve-  
ram Historiam & aetiologyam morborum penitus exhaustat, ut  
ipse iudicat Theor. p. 67. Quibus testimonii, sed præcipue pra-  
etia utilitate permotus, in animum induxi Thematis Inaugu-  
ralis loco exequi hanc materiam, cui ut Divina Gratiaclemen-  
tissime adesse velit, est quod ardentibus precibus contendo.

## CAPUT



CAPVT PRIMVM,  
De  
*Temporibus Morborum in Genere.*

**Q**ualis res animalibus est differentia secundum aerae, talis morbi sunt tempora, quae *καιροί* Graecis vocantur: ita ex interpretatione Andernaci Librum suum de Morborum temporibus inchoat Galenus, &c in sequentibus, tanquam optimus sui interpres notat, vocem hanc non tempus simpliciter, nec conveniens etiam tempus, in quo praesidia considerentur, sed tantum morborum aeratem, quae temporum vicissitudine immuretur, significare. Ubi tamen, quo minus opportunum illud tempus seu occasionem, qua tempestive remedia adhibentur, cum plerisque intelligamus, nihil obstat: tanto magis, cum Hippocratem hac in re praeceuntem habeamus, qui, praeter multos alios locos, (quos sub voce *καιρός* allegatos & explicatos vid. in Poësi Oec. Hipp.) Aph. i. Sect. l. *καιρός* nominat ἕχεν, praecipitem, seu ut Hollerius habet, volumen, Chœurnius momentosam & magni monenti, in Comment. vero etiam momentaneam & citam vocat; utrumque non inconvenienter, cum opportunitas illa & occasio praeceps, ubi semel elapsa reduci non potest, in qua proinde methodi porfissimam partem & curationis animam posuere prudentiores: imo iam ipse Hippocrates L. de Medico, postquam de *καιρῷ* huiusmodi mentionem fecisset, huius notitiam longe praestantissimam, & qui eum bene cognoscant, multum iam in arte progressos esse fatetur; morbi enim, ut ipse habet de Dec. Orn. circa temporis hanc occasionem interficiunt) quale *καιρός* in multis morbis qui lente moventur, tribui penitus nequit. Omni vero nos dubitatione liberat idem Hippocrates L. de Praec. quem ita orditur: Tempus (*χρόνος*) est, in quo occasio (*καιρός*) est; occasio, in qua tempus non multum. Ab aliis etiam, ut habet Poësius, anni partes & vicissitudinaria singularum temporis partium constitutio, variaeque tempestates, *καιροί* vocantur, ut adeo, eodem sensu adhibetur vox haec, quo tempus Latinorum, nempe & de quoconque, & de tempestivo etiam seu opportuno. Pergit Galenus & comparationem

facit, inter istiusmodi ~~xæps~~ & animalium aerates, monstratque differentiam notabilem utrisque intercedere, quam item dein componere studet in sequentibus, ubi contra Archigenem praecipue disputat, qui morbos in prima & maxima tempora diviserat, & post initium statim vigorem seu statum posuerat, intermissio medio tempore, ascensu videlicet seu incremento. Possimus haec omnia in nostram rem vertere, magis quam *Galenus*, qui non nisi de principio, incremento, statu & declinatione morborum disputat, cum praeter istiusmodi tempus, typo & periodo, tum generali, tum speciali comprehensum, aliud agnoscamus & addamus: primum, specialissimum dierum criticorum, deinde, magis universale, secundum quod morbi per anni tempora, lustra, & amplius ad secula usque moventur, & legitimam quasi aetatem nanciscuntur. De qua aetate sola posset quidem titulus Dissertationis nostrae explicari, ni & differentia morborum secundum aerae foret, quam praecipue intellectam volumus, & quam peculiari Capite, post Tempora morborum tractabimus.

Non est opus, nec nobis convenit, ut de Tempore explanando multum simus solliciti, quae res magis ad Philosophicum, quam Medicum forum pertinet; sufficiat adverte nos tempore duplici potissimum sensu hic uti: uno generali, macrocosmico, quo generales & universales morborum motus contingunt: altero speciali, microcosmico, quando alterationes & speciales successus in morbis observantur: Prius sit ex mente *Platonis*: Motus Solis, vel potius mensura motus, a motu Solis dependens: alterum habemus pro ordine seu successu actionum corporis animalis, quae administrantur a principio immanente & immortali, mensuram vero & determinationem accipiunt a motu extrinseco luminarium illorum magnorum, Solis nempe & Lunae; vnde quidem, cum tempus nostrum a motu, hic vero a principio isto agente & movente, quod animam vocamus, dependeat, tempus autem & motus, multo magis vero anima, sint res immateriales, quarum cognitio intellectui humano, materialibus rebus immerso & per sensus tantum, idque sub crassiori quidem præfiguratione, indicanti, protus interclusa est, immerito eius causandi ratio formalis a nobis exigitur; tanto magis cum id nullam utilitatem afferat medicam. Saltem, quicquid hic dici potest, innititur conditioni materiae, prout se habet ad motum, viis, per quas ea emouenda, nobilitati organorum, sed præcipue aëstimationi naturae.

Primum igitur quod materiam & motum, huius gratia institutum, attinet, prout laedens causa vel levis, vel gravis fuerit. ex mente

mente Stahlii & sensu naturae instituuntur contra illam motus proportionati, directi, utiles, & ad certum finem, emotionem nempe materiae morbificae tendentes, idque saepe non tam ad proportionem physicam causae laudentis, neque ad actuales ipsius effectus, sed magis pro dignitate partis; vid. Stahl. Prop. Inaug. de Syn. Nat. in med. ita ut, quando materia levis, longinqua, lenta, segnis & iners, negligenter, otiosa, & segniter se opponat Natura, unde nascuntur morbi Chronici, sive ro laesio gravis & praecipua, instituantur motus continui, frequentes, celestes, & saepe praecipites, quod fundamentum est morborum Acutorum, idque non tam ex specie laesiones, sed magis aestimatorie & moraliter, ad salvandam partem nobilissimam, sanguinem videlicet, ab actuali putredine, quae non tam adeat, quam intenditur tantum; unde profecto videamus, laesiones maxime sanguinas, v. g. ventriculi in Cultrivoris, & aperturam eius decennalem in Act. Nat. Cur. Dec. II. A. V. Obs. I. relatam, ulcerationes & laesiones eiusdem diuturnas Ibid. Dec. I. A. II. & in Obs. Salz m. 21. Febr. 1614. apud Craton. Epist. 163. Doring. Ep. ad Senn. Cent. I. n. 86. ap. Dodon. Obs. Cap. 25. immo ipsius cordis apud Bonett. Sepulchret. L. II. Sect. 8. Obs. 8. 15. 34. & 37. Grembs. Arb. Int. & ruinos. L. II. C. I. §. 8. Riv. Cent. I. obs. 87. & de pulmonibus aliisque visceribus quales non corruptiones passim leguntur, has inquam laesiones cito non praevalentes, cum ipsam vitam confessim non perant, diutine ferri, sicuti contra, si praelens & irreparabile damnum immineat, tunc confessim maximas fieri anxietates, trepidationes, consternationes, imo desperabundas omissiones vitalium motuum. v. g. in Peste & aliis gravius contagiosis. Et praebent praeterea huius rei argumentum eximiunt vulnera graviora cordis & vasorum maiorum, in quibus non tam ex laesiones & doloris specie, immo nec ex profusione sanguinis, cum & gravissima vulnera in conflitu & pugnis non sentiantur, & illa sanguinis & hinc caussata virium amissio non nisi successive, & non raro minori copia, ac in levioribus aliis vulneribus fiant, alii contra obfirmatori animo praediti, lethaliter vulnerati, & maxima sanguinis copia profusa, diu nihilominus discurrant, sed potius magis ex desertione & desperatione animi, partem nobilissimam & incessabilis usus destrui sentientis, repentina illa animi deliquia & momentaneae mortes contingere videantur.

Enimvero quantacunque fuerit ista a domestica & materiali quapiam caufsa, expectanda noxa, ni insuper externa, quam procatareaticam vocant, accedat, non facile produci obseruantur morbi, id quod non tan-

tum

tum de Acutis Epidemicis & Contagiosis, sed & Sporadicis, immo de Chronicis non paucis, obtinet. Animadvertis id iam pridem *Artis Med. Conditor*; ita enim observat: mutationes temporum maxime patere morbos, & in temporibus magnas mutationes frigoris aut caloris *Sect. III. Aph. 1.* & *de Hum. C. VIII. v. 15.* Qualia sunt tempora, tales esse morbos, & constitutiones ex ipsis: si tempora tempestive & ordinate se habuerint, morbos iudicatu faciles fieri, *de Hum. C. VII. v. 1. 2. 3.* In quietis ac constantibus temporibus, & annis tempestive praebentibus, boni status & iudicatu facillimos morbos fieri, in inconstantibus vero, inconstantes & qui difficulter iudicentur, *Epid. L. II. C. I. v. 20. 21. & Aph. 3. S. III.* Inaequalem calorem aut frigus eadem die morbos Auctunnales facere, & in aliis temporibus secundum rationem, *de Hum. C. VI. v. 6.* In Auctumno morbos acutissimos & omnino mortiferos fieri, Ver autem slaberrimum & minime lethale esse, *Aph. 9. S. III.* In temporibus quum eadem die, modo calor, modo frigus fiat, Auctunnales morbos expectandos, *Aph. 4. S. III.* Et Auctumnū & Hiemē ad morbos submovendos minorem commoditatem exhibere, quam Ver & Aestatem *Praed. L. II. C. XLIII. v. 4.* Maxime observandas esse magnas temporum mutationes, ut neque medicinas (*Phāguana*, purgantia,) in illis exhibeamus, neque uramus, neque fecemus, priusquam praetereant dies X aut plures & non pauciores: periculosissima etiam esse ambo Solstitia, maxime vero aestivum: pericolosum etiam Aequinoctium utrumque, magis vero auctumnale: considerandos etiam Astrorum exortus, praecipue Canis, (*Cvid. Aph. 5. Sect. IV.*) deinde Arcturi, & Pleiadum occasum; morbos enim in his maxime diebus indicari, aliosque perimere, alios vero desinere, aut in aliam speciem statumque transmutari, *de Aer. Ag. & Loc. C. XXX.* Quicunque morbi Hieme augescant, Aestate desinere solere, quicunque vero Aestate augescant, Hieme finiri: quicunque Vere fiant, Auctumno, auctunnales autem Vere discedere: quicunque vero haec tempora transgrediantur, eos annuos esse, *de Nat. Hum. C. XVII.* In omnibus temporibus, omnes fieri morbos, quosdam tamen magis in quibusdam ipsorum fieri & exacerbari, *Aph. 19. S. III.* Vere fieri insanias, melancholias, epilepsias, haemorrhagias, anginas, gravedines, raucitates, tusses, lepras, impetigines, vitiligines, pustulas ulcerolas plurimas, tubercula, & articulorum dolores, *Aph. 20. S. III.* Aestate horum nonnullos, & febres continuas & ardentes, & tertianas plurimas, quartanas item & vomitiones, alvi profluvia, lippitudines, aurium dolores, oris exulcerationes, genitalium putredines, & sudamina, *Aph. 21. S. III.* Auctumno

Autumno etiam aestiuos multos, & febres quartanas, atque erraticas, lienes magnos, hydropes, tabes, strangurias, lienterias, dysenterias, coxae dolores, anginas, asthmata, volvulos, epilepsias, insanias, & melancholias, *Aph. 22. S. III.* Hieme vero, pleuritides, peripneumonias, lethargos, gravedines, rauicitates, tusses, dolores pectoris, laterum & lumborum, cephalaligias, vertigines, & apoplexias, *Aph. 23. S. III.* Videtur utique manifestis aëris qualitatibus in producendo istiusmodi morborum ordine non parum tribuisse *Hippocrates*, dum *Aph. 12. 13. & 14. S. III.* post Hiemem sicciam & aquilonarem, Ver autem pluviosum & australe, Aestate febres acutas, ophthalmias & dysenterias fieri seribit: Hieme vero australi & pluviosa ac clementi, Vere autem siccio & aquilonari, circa Ver abortus, aut partus debiliores contingere: si Aestas fiat siccra & aquilonaris, Autumnus autem pluviosus & australis, capit ad Hiemem dolores nasci, tusses, raucedines, gravedines, & quibusdam tabes: si vero aquilonaris & sine aquis fuerit Autumnus, mulieres & humidiore constitutione praeditos melius habere, reliquis vero fieri ophthalmias siccias, febres acutas & gravedines: ex *Aph. 7.* autem eiusdem *Sect. III.* in siccitatibus febres acutas fieri, & reliquos morbos pro cuiusque anni constitutione, in pluviosis nempe, ut habet *Aph. 16.* plerumque fieri febres longas, alvi fluxiones, putredines, comitiales morbos, apoplexias, anginas, per siccitatem autem tabes, ophthalmias, articulorum dolores, urinæ stolidicia & dyenterias: Austrum secundum *Aph. 5.* auditum gravare & caput, caliginem oculis, tarditatem & languorem membris afferre; Aquilonem autem tusses, faucium asperitatem, alvi siccitatem, urinae difficultatem, horrorem, lateris & pectoris dolorēm inferre, (quae omnia pro regionis situ & natura varia-re intelligendum est, unde etiam ipse *Hippocrates de Aer. Ag. & Loc. C. XXXIV. v. 5. 6. 7.* regiones maxime inaequales, quas videlicet & mon tes plurimi & densi, itemque campi & prata occupent, magnas & frequentissimas habere temporum mutationes, in aequalibus autem regionibus non valde variare tempora advertit, ut nos plagarum diversitates, & ventorum, pro locorum, unde & quae persant differentia, naturam multum diversam non memoremus) licet inquam manifestis hisce qualitatibus tribuat non parum *Hippocrates*, idque omnino merito, in morbis praefertim Sporadicis, & aliis etiam tempori magis alligatis, iis nempe, qui manifestam caussam intrinsecam habent, & inter Sporadicos & Stationarios ambigunt, ut videmus in Causo, qui Aestate porissimum, ubi bilis dominatur, accidit, & Febris sanguineis, quae Vere gignuntur, a calore nimirum

simirum Solis, hiemales plenitudines conmoveente, non tamen omnēm  
 exhauste fundum, vel ipse agnoscere videtur, dum in toties laudata no-  
 stra Aphorismorum Sectione constitutionem, ex huiusmodi manifestis aëris  
 mutationibus obvenientem, separat prorsus a recensione istorum morbo-  
 rum, de quibus *Aph.* 20, 21, 22, 23, ita absolute pronuntiat, quo tempore  
 singuli soleant provenire, nulla tempestatis facta mentione; quamvis id  
 nemo ignorare queat, non paucos etiam ex his ad constitutiones illas ex  
 manifestis qualitatibus pendentes, relatios esse, Sporadicos nempe, non  
 aequo vero Epidemicos, ut hinc non obscurè cognoscere videatur ipse *Hip-*  
*pocrates*, ab alia longe & abstrusa magis caussa populares Febres depen-  
 dere, & nominat etiam & passim docet, harum caussas esse communes,  
 & ex Aëre, Coeloque devenire, minime autem vel calorem, vel frigus,  
 vel humiditatem, vel siccitatem, accidere audet. Quod nostro etiam  
 tempore agnovit *Celeberr. Ramazzinus de Conf. Epid. An. 1692. 93. 94. p.*  
 191. & 204. & ante hunc sollicitus ille & nunquam satis laudandus mor-  
 borum Epidemicorum scrutator *Sydenhamius*. Cum enim sub eadem, quoad  
 sensus, constitutione, diversi, & sub dissimili, iidem ipsis observati fue-  
 rent Epidemici morbi, horum proinde ortum arcanae cūdām aëris con-  
 stitutioni, vel ab effluviis & ignotis halitibus, & terrae visceribus expiran-  
 tibus, vel astrorum etiam irradiatione productae inniti posse, *Sydenha-*  
*mius* praecipue, suspicuntur; & sane cum nec macrocosmicae illae qua-  
 litates, nec sidereaे ériq[ue]velia condigne adhuc exploratae sint, immo ha-  
 rum natura prorsus incogita sit, improbabilis istiusmodi ortus non ha-  
 bendus videtur, tanto minus autem, si experientia solidi quid in hisce  
 deprehendat, sicuti profecto *Galenus Lib. III. de Dieb. Decret. C. VI.* as-  
 serit, a se verissimum semper compertum esse, quod Ägyptii Astronomi  
 invenerint, Lunam non modo aegris ( idque potissimum ) sed etiam sanis,  
 dies, quales tandem futuri sint, posse prænuntiare; si nempe ad plane-  
 tas temperatos steterit, quos iam & salutares Latini vocent, faustos ac bo-  
 nos, si ad intemperatos, graves molestosque producere. Quae quidem  
 aëris occulta constitutio vereor, ut aliquando in lucem protrahatur, cum  
 post lapsum hominis, Anima eius non nisi per exteros sensus, & qui-  
 dem sub crassiore praefiguratione iudicare valeat, hae vero res a sensuum  
 testimonio longius remotae sint, quam ut ratio quicquam de iis certo  
 statueret valeat.

Merito igitur acquiescimus tantisper in manifestis illis qualitatib-  
 us, ex quibus activae magis sunt calor & frigus, passivae, san-  
 fentia,

sensu, siccitas & humiditas ; quae a vario siderum ortu, Solis prae-  
cipue, varie solent produci & alterari circa Aequinoctia potissimum & Sol-  
stitia, hinc & intermedias mutationes, quas a vario siderum ortu metiri soliti  
sunt Medicis quidam ex antiquioribus, ut habet *Galeus in L. de Morb. vulg.*  
ita, ut totum annum in 7. praecipue partes diviserint, 1. Ver, ab Aequinoctio Verno usque ad Vergiliatum ortum, 2. Aestatem, ab ortu Vergiliarum ad  
Canis exortum, 3. Oporam, a Canis exortu, 4. Autumnum, ab ortu Arcturi ad  
occasum Vergiliarum, 5. Sementem, ab occasu Arcturi, 6. Hiemem, ab occasu  
Pleiadum, 7. Phytaliam, quod serendis arboribus faveat, a flatu Favonii,  
circa 10. diem Februarii, cum Violae purpureae florere incipiunt, in cali-  
dioribus videlicet plagiis, qui venti flare soleant, ad medium circiter Martium,  
quibus terra laxetur & emolliatur a frigore hiemali densata : his Au-  
stros molles succedere, humores corporis fundentes, & succos terrae li-  
quantes, ut fiat rerum generatio: inde brevi rursus transitum fieri in Ze-  
phyros, qui spirant usque ad ortum Vergiliarum, ubi oriantur Subsolani,  
maritimis humidi, nobis sicciores & calidiores, ad Caniculam usque flan-  
tes: sed exortum Caniculae, inquit *Plinius*, praecedunt 8. fere diebus Aquilones, qui dicuntur Prodromi: post ortum Caniculae, Etesiae veni-  
unt, 40. dies flantes, qui dicuntur Veteribus Delicati, quod sint molles  
& blandi, & non tantum Caniculae ardorem temperent, sed etiam sa-  
luberrimi sint, morbos, qui aliorum flatu, Austri praecipue, immis-  
fuerant, dispellentes: post Caniculae dies Arcturus oritur, circa medi-  
um Septembrem, quo tempore requirunt Auctores pro anni salubritate,  
pluvias, quas subsequi debeat serenitas, circa initium Octobris, tunc oriri  
ventos occiduos, Cauros dictos, qui inter Aquilonem & occasum hiber-  
num usque ad Vergiliarum occasum spirant: inde alterari aërem &  
sequi Aquilones. Istiusmodi statum aëris pro diverso siderum ortu ob-  
servaverunt Antiqui, & si haec omnia bene invicem succederent, inter-  
mixtis subinde pluviis tempestivis atque serenitatibus moderatis, annum  
salubre pauciores, aut saltem magis moratos expectaverunt,  
prout ex *Aph. 8. Sect. III. & de Aér. Ag. & Loc. C. XXV.* abunde constare  
potest. Ubi nemo opinabitur, ac si venti ex hoc siderum ortu oboriri  
soleant, cum horum propiores multo causae ex globi terr-aq.-aërei con-  
stitutione & Solis diverso accessu aut recessu suppetant, unde etiam praecipue  
fir, quod ex praescriptis regulis non exacte semper succedant desi-  
gnati venti, & quae inde non parum dependent, tempestatum mutatio-  
nes, quas idcirco magis praesentes & aëris annique statum alterantes, Me-

dici, in Sporadicis praecipue considerare solent. Contra si immoderatae fuerint anni tempestates, multis morbis ex dictis iam Sporadicis, fores aperiuntur, cuius rei specimen dedit Hippocr. Aph. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Sect. III. Existimamus autem omnem manifestarum qualitatum vim in eo praecipue fundari, quod insigntem illam & ad vitam perennandam prorsus necessariam insensibilem transpirationem plus minus laedant, quo nomine, humida-frigida tempestas apud omnes male audit, ita ut *Sancto-rivo Med. Stat.* Aph. 15. Sect. IV. compertum fuicit, eam ab austrina frigidiuscula aura in dormientibus magis prohiberi, quam in vigilantibus ab ingenti frigore, & secundum Aph. 41. Sect. II. ab Aequinoctio auctumnali ad Solsticium hiemale, quo tempore humidum frigus praecipue patimur, qualibet die minus libra circiter nos perspirare, inde vero ad Aequinoctium vernale, liberius transpirationem succedere; atque hoc fundamentum esse hiemalium morborum, non immerito existimare liceat.

Ceterum occulta illa aëris Constitutio duplex vel triplex esse observatur, una videlicet generalior, qua multorum annorum, immo seculorum potius, decursu, certi quidam morbi regnare observantur; de qua notabile est, quod prioribus suis annis statum & vigorem simul adepta videatur, dum morbi multo atrociores fuerunt sub primum insultum, quam subsecuto tempore, quo eorum vis sensim retusa fuit, quod observatum est, non tantum in Venerea Lue, ab Americanis ad nos transmissa, sed & in Vario- lis, quas huius loco Europaeorum munere acceperunt. Altera minus est generalis, quando per annos aliquot, morbi quidam durare observantur, ex quorum numero Febræ sunt Acutæ multæ, quæ Epidemicæ aliquot annis griffari solent, in quibus simile quid observavit Sydenhamius, symptomata videlicet ab initio omnia atrociora esse, dein paullatim mitescere, & sub constitutionis catastropham benigna apparere, quam parvatur morbi natura; quo convenienter satis cum periodis particularibus Acutorum, quæ breve habent principium & statim in statu atque vigore versantur. Specialis dein observatur in his ipsis Epidemicis, quæ non quovis anni tempore, sed certo saltu, saevire solent. Hac ratione alii ad auctumnale, alii ad vernum pertinent Aequinoctium, cuius Epocha est Februarius, statuente Sydenhamio, sicuti auctumnalis, mensis Iulius; quo tempore magis regulariter morbi videntur morbi, per gradus nempe, ita ut, qui ad Aequinoctium verum pertineant, cum Februario intrare, hinc sensim invalescere soleant, donec ipso Aequinoctio æquum adepti, iisdem, quibus cooperant, gradibus imminuantur, & Iulio penitus extinguantur: vernorum exemplum præbent

præbent Morbilli & Febres tertianae, autumnalium Dysenteria &c. Alii Epochas illas non servant, sed de Aequinoctio ad Aequinoctium & ultra hoc moventur, cuiusmodi sunt Pestis & Variolæ regulares. Porro observavit *Sydenhamius*, Epidemicum illum magnum, qui tum rerum potitur, (quod de Pestis etiam *Laur. Gieseler* & Alii quidam observarunt) reliquos minores in suam quasi ditionem redigere solere, atque eiusmodi plerumq; esse autunnalem, (unde *Hippocrati* Autumno morbi acutissimi) qui totius anni constitutioni nomen suum impertiat.

Ab habitu intrinseco, materiae nimirum & motus, unde differentia morborum Auctorū & Chronicorum, & Constitutione temporis vel arcanae, vel manifestæ aëris *καὶ τοι* innitente, quārum prior Epidemicos, posterior Sporadicos inferre solet. Progredimur nunc ad tertiam differentiam, quibus tempus morborū propriæ circumscribi solet. Est hoc tempus illud, quod in quovis morbo in specie observatur: vel Periodorū & Circuituum particularium seu Paroxysmorum tempus, de quo *Galenus* peculiarem Librum conscripsit, ubi eius, subtilius quam erat necessarium, sex dat differentias, initium nimirum, inaequalitatem, incrementum, consistentiam, imminutionem & integritatem, & exemplum huius luculentum exhibere dicit Febrem tertianam, vel totius morbi tempus, de quo peculiari rursus Libro egit *Idem*, ubi id quadruplex statuit, principium videlicet, incrementum, vigorem seu statum, & declinationem. Verum cum negotium dierum Criticorum huius etiam loci sit, coniungendi sunt illi, quos de *Crisi & Diebus decretoriis Libros* conscripsit, in quibus nostro iudicio, magis quam in prioribus, se exaequavit *Galenus*. Recensuit hosce libros & peculiari de Temporibus Morborum Libro eos conciliare & ex mente Galeni interpretari aggressus est *Argenterius*; verum cum inanibus quaestioneibus de principio, incremento, statu & declinatione operosius inhaereat, non magnum operae pretium nobis meruisse videtur: concisor est doctrina *Sennerti in Institut. Libr. II. Part. I. C. 12*, sed magis nervosa *Gorraei Defin. Med. p. 203. 204*, sub voce *Kaiß*. Docuerunt nempe ista quatuor morborum tempora non modo in toto morbo, sed in singulis etiam paroxysmis observari, & priora universalia, posteriora particularia vocaverunt: haec variare pro morborum, caussarum, symptomatum, Naturae, virtutum & reliquarum circumstantiarum ratione: de illis in genere ita statui posse, ut principium dicatur, primus morbi motus, incrementum, in quo non modo ipse morbus, verum & symptomata eius graviora fiant, status, in quo ea consistant, declinatio, cum ea decrescere incipient;

quorum signa secundum Galenum ex coctione & cruditate, & ex symptomatum aequalitate vel inaequalitate desumantur, (vel ut Argenterius habet, a natura rei, ab illius caussis & effectibus, qui sunt actionum offensiones & qualitates mutatae) ita ut in Febribus, principium sit, quamdiu humor crudus est, in Phlegmone, cum sanguine impletur pars, in Ulcere, quando sanies tenuis & aquosa manat; incrementum in Febribus, si concoqui coepit materia, in Phlegmone, cum fluxio cessat & sanguis impudatur, in Ulcere si sanies parcius & crassior; status in Febribus, quando in materiae concoctione Natura maxime laborat, in Phlegmone, ubi pus conficitur & pulsatio atque dolor ceteraque symptomata summa sunt, in Ulcere quando pus tenuus: declinatio, in Febribus, ubi symptomata remittunt, & excretio fit humoris morbifici, in Phlegmone, quando pus effluit, tensio imminuit & tumor incipit subsidere, in Ulcere si pus album, crassum & paucum compareret. Atque haec quatuor tempora in iis maxime morbis, quos Natura vincere queat observari, cum exitiales interdum in principio, saepe in augmento, saepissime in summo vigore aegros e medio tollant: aliorum principium esse longum, cetera brevia, contra aliorum declinationem longissimam videri, interdum incrementum, alias vero summum vigorem, aut ex iis plura, cum reliqua multo minus diurna fuerint: & cum haec tempora non parvam saepe habeant latitudinem fuisse quosdam, qui singulis rursus principium, medium & finem adscriperent. Particularia tempora eminentissime observari in Febribus tertianis cum Galeno advertant. Usus habet eximum doctrina haec in omnibus morbis, Acutis praesertim, non tantum in prognosi (quatenus ex solo morbi principio cum Baglivio, sedulo & sagaciter considerato, iudicare poterimus de totius morbi duratione & eventu, cum ex eiusdem observatione, quot diebus principium Febris duraverit, totidem & augmentum, status ac declinatio, & quale fuerit morbi principium, vehemens nempe, malignum, impetuosum, vel contra, lene aut benignum, talia quoque, facta comparatione, esse alia morbi tempora) sed & curatione; ita enim observavit idem Baglivus, Ilchiadicum dolorem, si eadem hora vel paucis elapsis purgans remedium convenienter exhibeat, certo desirurum, non ita vero si morbus ad plures dies & menses fuerit protractus, & de Acutis pridem docuit Hippocrates, Aph. 29. Sec. II, si quid movendum sit, purgatione videlicet aut sanguinis detractione, hoc faciendum esse in principio, quod primo quaternario a plerisque includitur, ab Hippocrate de Viti. Acutor. C. L. v. 4. ad quintum usque extenditur, in per Acutis vero breviore

breviore multo tempore comprehenditur, ita ut curationes quidam id tribus quatuorve horis, alii dimidio die, a notabili aegri δυσφορίᾳ id definiverint; in Acutis paroxyzantibus autem Febribus tempus hoc primo paroxysmo, & incrementi finem 4. die determinat *Stahl Diss. de Feb. ingen. Hippocr. p. 23. 24. 25.* In statu vero quiescere satius monet eodem loco *Hippocrates*, cuius rationem reddit subsequente *Aph. 30.* quod in principio & fine omnia sint remissiora, in vigore vero vehementissima; ac si dicere voluisset, Naturam, quando maximis sub statum motibus, quibus nimium fatigando frequentius peccat, quam deficit, materiam morbificam subiugare & contumete intendit, non esse irritandam nec ad motus maiores incitandam eo tempore, sed tum demum ubi fervor desit, in fine videlicet, quando materia concocta & subacta est, quam dein educere conveniat secundum *Aph. 22. S. 1. & de Purg. C. IV. v. 1. 2. it. C. V. v. 4. 5.* immo nec ineunte morbo quidem medicationes eiusmodi convenire, nisi materia turget, quod plerumque non fiat, & adhibito singulari iudicio *cx* praceptio *Aph. 24. 5. Eiusd.* ut videlicet expendantur morbi ipsius natura, aegri constitutio, Aetas, consuetudo, medicamenti delectus & prudens applicatio, secundum quantitatem, qualitatem & utendi modum. Quia in re posteri *Hippocratis*, nominatum *Galenus* excelluit, qui purgationes per epicasin, quae pabulum morbo ex primis viis, intacta cruda materia, subtraherent, introduxit, & qui hunc sequuti sunt ex *Arabum* familia, purgantium blandiorum ex manna, rhabarbaro, thamarindis, auctores, post quorum tempora agitatoria illa elaterina, peplina, & helleborina, frequentari desierunt. Qui nam vero Acuti sint morbi, declarat ipse *Hippocr. de Viēt. Acut. C. III. v. 1.* ubi Pleuritidem nominat, Peripneumoniam, Phrenitidem, Caulum, & alios morbos, qui ex his pendebant, quorum Febres omnino continuae sint & occidunt; quibus verbis posterioribus similes inflammatorios morbos ipsum intellexisse existimandum est, cum in sequentibus Anginam expresse nomine: immo Febres etiam citat in genere, ut & Continuas omnes eo nomine intelligit *Epid. L. 4. C. III. v. 16.* quin nec Intermittentes, ac praecipue Tertianam excludit, cum *Aph. 23. S. 11. it. de Indic. C. IV. v. 12. & Coac. Pr. C. I. v. 211.* Acutos morbos definit, qui 14. diebus plerumq; iudicentur, quale Tertianaee prorsus competit, quae ipsius effato, si exquisita sit, 7. circuibus iudicatur, vid. *Aph. 59. Seſt. IV. & Coac. Pr. v. seq. 212.* quo hanc tanquam exemplum Acuti subiecisse videtur. Immo non tantum pro purgandis aegris memoratos canones posteritati dedit *Hippocrates*, sed & pro instituenda diaeta, unde *de Viēt. Aegrit. C. XX.* diaetam in principio paullo pleniorē indulget,

get, quam sub vigore, vetat vero omnem tum cibi *Aph.* n. 19. *S. I.* tum  
forbitionum & potuum exhibitionem, de *Vit. Acut. C. XLII.* ante paroxysmorum insultum, quorum indicium notat ibi, pedum refrigerationem,  
qua praesente, necesse ait, hypochondria tendi & alvum incendio fla-  
grare, ac totum corpus ob commotionem intus conceptram, vel potius  
eo translatam, iactari. Similis est ratio Crisum, cum ante has corpora  
soleant perturbari, unde eriam cibos & potus tum exhiberi prohibetur eo-  
dem de *Vit. Acut. L. C. XLV. v. I. & C. LXIII. v. 8. 9. 10. 11.* Quid enim  
posset fieri magis in consulum, quam eo tempore, quo summo studio  
materiam morbificam Natura aggreditur, eam ab hoc opere cibi oblatio-  
ne avocare & negotia eius interturbare, ut non memorem oeconomiae  
animalis vel turbas, a copiosiore repressione humorum versus partes in-  
terioris, vel ferias circa clylificationis & nutritionis opus tanquam minus  
necessarium, cum Natura pro conservando & a noxiis materiai vindicando  
habitaculo suo plus satis habeat quod agat, unde etiam solenne  
illud fastidium in hisce aegris, a carnis praecipue, putrescibilem ma-  
teriam augentibus, observatur. Ceterum de efficacia convenientium &  
tempestivarum evacuationum omnino legi meretur *Stahl. Diss. de Feb. in*  
*gen. Hist. Thes. IX.*

Periodorum seu circuituum terminus Crisis appellatur, quae obser-  
vante Hippocrate *Aph. 23. Sect. II.* intra 14. dies in Acutis contingit; quam-  
vis enim & ultra hunc terminum crises observentur, die nimis 20. 27.  
34. 40. & infra 14. Acuti multi iudicentur, mitissimae nempe Febres &  
signis securissimis stipatae, ut & malignissimae, signis horrendissimis ob-  
orientes, quae 4. die aut prius desinunt, & vel ad salutem, vel ad mor-  
tem terminantur, ut ipse habet *Praen. C. XX. v. 2. 3. & de Indio. C. II. v.*  
*4. 5.* ubi dein secundum terminum ad 7., tertium ad 11., quartum ad 14.,  
quintum ad 17., sextum ad 20. constituit, Libro vero antecedente de *Dieb.*  
*Indio. 21.* nominat, deinde 30. postea 40. & demum 60. post quos nu-  
meros diurnum Februm constitutionem dicit, tamen intra 14. immo  
hoc ipso plerasque crises fieri, & Aphoristica pronuntiatio fidem facit,  
& Posterorum etiam obserratio, cum quotidiana experientia, abunde  
testantur, eo die plerosque Acutos, intra suos terminos & cancellos de-  
currentes, abitum sibi parare, ita quidem ut ipsae crises salutariter die  
14. perpetrentur, funestior vero morbi eventus & ante hunc terminum  
non raro observetur. Decretorum fortissimum pronuntiat *Galenus L.*  
*VIII. de Crisib. diem 7.* cuius nuntius sit 4. tanquam decretoriis minor

&amp;

& 7. index, deinde 11. & 14. eandem proportionem & naturam invicem servare, hinc frequenter quidem 17. ad 20., raro autem 18. ad 21., coincidere iis 9. 5. & 3. plurimos quidem 9. iudicare, secundam vim obtinere 5. & post hunc 3., malum esse decretorium 6. omnium imbecillium 13. omnium vero, qui non decernant, fortissimum. Vehementissimas itaque esse crises, quae usque ad 14. diem veniant, minus iis, quae ad 20. usque pertingant, ac debiliores adhuc, quae ad 40. retardentur. De 20. & 27. controversa res est: *Diocles & Archigenes*, ut *Galenus de Dieb. Deir. L. I. C. X.* refert, 21. & 28. numerarunt: *Galenus* se ex *Hippocrate* 20. & 27. numerandos existimare afferit. Enimvero *Hippocrates* & 20. & 21. admisisse videtur, profitetur que ipse *Hippocr. Praen. C. XX. v. 11. 12.* nihil horum integris diebus exacte numerari posse, quod nec annus, nec mentes integris diebus consistent; quibus ulteriores rationes ex principii morbi determinatione minus exacta, numeratione nunc exclusiva, nunc inclusiva, humorum & viarum dispositione, sed patientis praecipue agilitate & inertia addi possent; Immo nec negligenda Luna & ipsius motus, si, quod non improbabile videtur, decretoriorum dierum ordo & numerus inde dependent; tum enim id plerumque tempus, quod de 20. & 21. participat, decretorium diem constitueret.

Soliti sunt artis Medicæ Doctores, qui seculo 15. 16. 17. claruere, cuiusque Septimanae medios seu quaternarios, Indices & criticos secundarios seu minus principales nominare, in quibus fiat levis pugna & veletatio Naturæ cum morbo, spectante coequo tempore initia alterationis materiae ad bonum vel malum; idque omnino ex mente Hippocratis, qui *Aph. 24. Sect. II.* edixit, septenorum quartam esse indicem, octavam secundae septimanae initium: observabilem & ipsam 11. alterius enim septimanae 4. esse: iterumque diem 17. observabilem, utope qui a 14. quartus sit, & ab 11. septimus. Quo Aphorismo sicuti notabile est *Hippocratem* non transgredi tertium septenarium, ita optime adhunc locum annotat *Hollerius*, post 20. perire & elongescere vim quaterniorum, post 40. vero septeniorum, ita ut quaternarii sint tres, 4. nempe, 11. & 17. & septenarii sex, 7. 14. 20. 27. 34. 40. & notandum esse maiorem semper vim inesse primis quaternariis in indicando, unde quidem extreme per Acuti, intra 4. diem, per Acuti, intra 7. Acuti exacte, intra 14. Acuti ex accidentia, intra 40. iudicari soleant. Cui Holleriana observationi iungimus merito illam, quam *Galenus de Dieb. Crit. L. II. C. 5.* sagaciter & ingeniose (prout vir fuit acri magnoque ingenio) ex Epidemicis *Hippocratis* historiis elicuit, quod

nimirum Febrés quae non excedunt diem 14. crisis suam ablolvant unico die, quae hunc excedant, duobus diebus, quae 20. tribus, cum Hippocrates si unica die facta fuerit crisis, plerumque ita dixerit, morbum quinto, 7. 9. 11. non vero circa 5. &c. iudicatum fuisse, sicuti si pluribus diebus perpetrata fuerit, circa 20. 40. eam successisse afferat; quamvis & illud hinc constare queat, quod priores illae crises exactius quam posteriores soleant procedere, eoque motui morborum, a principio acutiori, magis exacto & determinato, apprime respondeant. Peti etiam hinc potest dubii superius relati solutio, quinan, nempe decretorii sunt, 20. & 27? an vero 21. & 28? cum lentior ista critica solutio utrosque occupet. Intercalares & Intercidentes nominant dies, qui inter criticos seu decretorios intercidunt, & sunt 3. 5. 9. 13. 19., quibus & sua vis insit iudicandi, non tamen tam potens ac diebus criticis, sed ex accidenti potius, quemadmodum & indicibus sua vis insit, sed tamen potentior pro indicando: atque debilitatem istam maxime observari in 13. ita ut Galenus omnium imbecillimum dixerit, quod multo adhuc magis de 19. statuere dein licet. Reliquos vacuos nominant, in quibus nulla vel rarissima crisis contingat, praecipue in 6. quem ideo, quod plures eo pereant, tyranno, qui cum crudelitate iudicet, comparat Galenus, (& ab Hippocrate S. IV. Aph. 29. rigores 6. die contingentes sinistri iudicij praenuntiantur, quoniam ob copiam materiae morbificae praepropere instituantur motus excretorii, vid. Gal. de Diel. Decret. L. I. C. IV. antecedere vero solent rigores criticas solutiones ex Aph. 63. Sect. IV.) sicuti 7. bono & clementi Regi, qui, quos iudicet, iis vel supplicii partem adimat, vel illustreret victoriam: ceteri sunt, 8. 10. 12. 16. 18. Vocantur etiam medicinales, quod eo tempore turius purgantia medicamenta exhibere liceat. Id quod iam cognovit Hippocrates, qui L. IV. de Morb. C. XXI. v. 12. 13. 14. 17. eos, qui in Febribus continuis pharmaco usi sunt in paribus diebus, nimium purgatos nunquam vidit, secus autem in imparibus, ubi multi perierint nimium purgati, propterea quod C. XX. v. 21. 22. horrores tum maxime contingent, & humores magis turbentur in corpore aegri in imparibus diebus, & propterea secundum C. XX. v. 17. tum maxime dolore homines, & C. XIX. v. 11. tum maxime & sanos fieri homines, & mori, nihil autem C. XXI. v. 19. mirum esse, si quis iam turbarum adhuc magis perturbet medicamento, talem perire. Unde porro Hippocrates Aph. 36. S. IV. eos sudores bonos dicit, qui emanant diebus 3. 5. 7. 9. 11. 13. 14. 17. 21. 27. 31. 34. reliquos laborem, diurnitatem & recidiwas ostendere,

dere, ( ubi dum sudorem , tanquam excretionem maxime familiarem & solennem nominat , nec reliquias concoctiones , excretiones & abscessus criticos exclusisse censendus est, sicuti etiam ad hunc locum notat *Hollerius*, quod si aliquid in 4. incidat iudicium, id fieri in febribus Synochis, quae magis moveri soleant diebus paribus, cum morbi Acuti & per Acutum materiam habeant biliosam , quae diebus imparibus moveatur, de quibus praecepit intelligendum sit Aphorismus, atque has excretiones maxime fidas & fortissimas fieri die 7. & 14., quorum indices sint 4. & 11. secundum *Aph.* 71. S. IV. ) & nisi febricitantem imparibus diebus febris reliquerit, eam reverti soleare. Ubi non adeo magni momenti est dubium *Galen*, qui, quod non raro die pari , 14. videlicet 20. 34. 40. solutio morbi sine recidiva soleat contingere, falsitatis suspicione accusat hunc Aphorismaum , cum *Hippocrates* per septenarios calculum semper inierit , & morbos Acutos iudicari dixerit per septimanas , ita ut 14. non par, sed impar sit, 7. nempe septimanae secundae, & initium tertiae , 20. iterum septimus septimanae tertiae &c. Nec obstat aphoristico huic effato ipse *Hippocrates*, quando Epid. L. I. C. III. v. 27. afferit , quae paribus diebus exacerbentur, paribus iudicari; cum, ut *Hollerius* ante advertit , Synochae febres, ( quibus adde Quartanas ) istiusmodi motus admittant, minime vero Acutiores , quae ex materia biliosa nascantur, quae, quoniam in calidis regionibus frequentiores, de iis proinde absolute quasi pronuntiassent videtur *Hippocrates*. Quamvis etiam ipse *Hippocrates* calculum duxerit aliquando a primo morbi initio, & huius respectu 14. parem diem dixerit, de Septim. C. VIII. v. 6. 7., quo sensu etiam 9. 11. 13. non pares , qui alias a secunda septimana tales forent, sed impares ab eo passim pronuntiantur. De universa vero hac doctrina illud semper memori mente tenendum, quod tum ab *Hippocrate* & *Galeno*, tum aliis, veram observandi rationem adeptis, toties inculcatum est, de Septeniorum nempe efficacia & vi in iudicando prae reliquis, hinc & horum mediorum seu quaterniorum. Quibus probe observatis, irritatae sunt omnes ille collationes, comparationes, collisiones, confusiones, quibus nuperrime *Aliquis* pessundare voluit doctrinam, ex practica observatione enatam, & multorum seculorum decursu confirmatam, in quam proinde non nisi observationes contrarias, ex multorum multa, copiosa, sollicita & sagaci experientia desumptas proferre oportebat; tandem abest, ut Pythagoricorum commentorum insimulanda ea fuerit, multo minus autem testimonium aliquod vel ab *Asclepiade*, cuius elogium videre licet apud *Plinium* L. XXXI. C. 3. rhetoris nimurum , assentan-

toris, & similibus prope artibus, quas notavit Galenus de Praec. ad Posth. in Romanis suo tempore Medicis, claro, vel a Celsso, viro in artis operibus parum exercitato, alici peterat.

De causis dierum criticorum accurate dicere, cum res sit prorsus irrita, malumus proinde tacere, quam multa, quae evidenter probari non possunt, proferre. Cui ita volupe fuerit cognoscere, poterit multa de Sole, anni temporum & vegetationis auctore, & Luna, mensium ordinatrice, & pro diversis phasibus & illuminarione, Menstruorum & Comitialium circuitus dimetiente, reperire praecclare dicta apud Galen. de Decret. Dieb. L. III. & qui haec aliaque collegit & conciliavit, Doct. Senenert. Instit. L. III. Part. III. cap. 12. it. 7. C. Claudiunum de Dieb. Critic. Id notasse satis est nobis, ipsius Criseos causam videri Naturam humanam, pro quantitate & qualitate materiae & noxae inde impenderatis, materiam morbificam oxyus aut tardius eiicere conantem, ipsius vero ordinis & certorum dierum rationem pendere posse, partim ab habilitate inrerna materiae ad motum, (de qua vanum non videtur, quod pridem de bilis, sanguinis, pituitae, & melancholiae motu tradiderunt,) partim ab externa ordinante causa; de quo utroque insignissimus est locus Galeni de Dieb. Decrer. L. II. C. II. unde es, quae ad rem nostram pertinent, breviter transcribere non dubitamus, idque eo magis, quo minus recentiorum alicui ea res in mentem ita venit, si non venire non potuerit: unum, inquit, Vir maximi ingenii, certum dierum decretriorum in omnibus aegris fieri non est necessarium, illi tantum numerandi, in quibus nec ipse Medicus, nec aeger quid peccaverit, immo nec assistentes, aut etiam extrinsecus offensa quaepiam obvenerit. Persuasum habere convenient, Naturam prorsus sufficere, & lumina quadam providentia corpori prospicere: ipsam, si quid aliud, propriis motibus ordinatis uti: summum eius esse artificium in animali fingendo, quoddam in conceptuum incremento, perfectione & partu; cuiusque enim animantis generi conceptus statum tempus exacte servari, Natura videlicet ordinatos motus semper habente: sic etiam post partum unum quodque animans increscere, absolvit & declinare praefinitis temporibus. Sed cum ordo Naturae supereretur providentia & ordine a coelestibus, inordinationem quandam substantiae motui connatam, tribui posse: atqui pulchrum hoc omne & ordinatum & artificiosum ex supernis innasci videri, inordinatum & erraticum ex materia, quae hic versatur, provenire: Naturam igitur rem quandam esse ordinatam, & cum materiam superavet,

tit,

rit, proportionibus quibusdam definitis, & periodis ordinatis motiones ipsius fieri, quae vero praeter rationem aliquando incidunt ordinemque confundant, tunc ipsi obvenire cum non plane materiam vicerit, sed impediatur ab ea, & suis proportionibus moveri prohibeatur. Atque huiusmodi ordinem non tantum in morbis & statu p. n., sed etiam sano & nat. observari in homine aequae ac reliquis animalibus; quae statum habent conceptionis, partus, incrementi, perfectionis, vigoris, declinationis & dissolutionis tempus.

## CAPVT SECUNDVM,

De

### *Temporibus Morborum in Specie.*

**D**iximus superius, pro diversitate materiae morbificae & imminente specie laesionis, ad eas praeccavandas & emovendas institui a Natura motus proportionatos, vel celeres, vel tardos, unde duplex morborum genus, & Chronicorum, & Acutorum nascatur. Subest tamen & alia differentia in Acutis, ab abolitis aut deficientibus motibus pendens. Tales enim passivae motuum laesiones observantur in Catarrho suffocativo, Apoplexia, Catalepsi, Paralyse, Syncope, in quibus Natura drepente cessat, & deserit actiones, sicuti contra in reliquis Acutis nimium fatigando easdem etiam turbat & active laedit, prout in Febribus omnis generis observatur. Posset equidem non sine ratione videli, in Catarrho suffocativo & Catalepsi, quoniam animalis activitas in summo & nimis intenso motu constituta est, quod & dealiis Spasmodicis, qui hue referri possunt. Colica nimirum & Ileo, affirmari potest, non tam passivam, quam activam hic observari laesione, sicuti omnium Spasmodicorum natura in eo sita viderur, ut non nisi exceibitiones motuum nimiae sint; tamen, si ista impotentia ad motum, cum voluntarium cum involuntariu[m], consideretur in hisce morbis, non adeo inconvenienter passive laedi censebuntur actiones, licet ipsa laesio[n]is natura in activitate seu motu nimis intenso consistat; saltem de utroque participare & naturam mixtam habere videntur, ita ut laesio ipsa quidem

dem activitate nimia peccet, reliqua autem corporis oeconomia passim graviter laedatur, motuum nempe vitalium omissione, qua de causa proximae hasce passivas & mixtas laesiones tractabimus. Passivas autem & mixtas primum, dein activas motuum racen[em]bimus laesiones. Observatur ista desertio in Syncope & Suffocatione ad tempus brevius, in Paralyse ad longius, & quidem contumaciter, in Apoplexia & Catalepsie, medio modo. Epilepsia quidem ob Paroxysmorum brevitatem & subitam invasionem hoc referenda videri posset, interim cum longo satis tempore duret, ad Chronicos, vel potius Aetatum morbos eam reservabimus, propterea quod ab aetate peculiarem mutationem pati soleat, cuius loco etiam reliquos ex Acutis & Chronicis, qui certae Aetati peculiares sunt, dicabimus. Colica licet & ipsa Aetatum morbis accensenda sit, quoniam tamen extra istam dispositionem, ex causis externis aliquando invadere, nec semper reverti solet, brevibus ictibus acutie meminisse sufficiat. Torquet dolor ordinario dimidiā vel unam alteramve horam, vel si mitior sit, plures, quo autem violentior, eo brevioris est periodi. Quodsi intensior sit, quam ut ferrari queat, motus isti (pasmodi), qui ad aliquid molestum ex primis viis excutiendum fuscipiebantur, adeo exacerbantur, ut de intestinis in artus usque protendantur, & materiam morbificam eo depellant, in quam postea firmissime impactam Natura multis de causis nullum ius habet, ut ea proper labores circa eam, tanquam frustraneos, deferat, sicuti vero voluntariorum vel obliviscatur vel in iis administrandis impediatur, unde Paresis sit ex Colica, prout observationes Medicæ passim loquuntur. Epidemiam *Aetianus* observavit, Endemia vero & Epidemica simili est, quae in Caribæis Insulis dominatur. *Plinius* tradidit, Colicum morbum primo omnium expertum esse *Tiberium Imperatorum*, & nomen huius mali populo Romano fuisse incognitum, & quod apud *Hippocratem* & antiquos Medicos nomen Colici doloris non occurrat; verum non praeter rationem existimat *Sennert.* *Prax. Med. L. III. P. 2. S. 2. Cap. 2.* non tam morbum, quam nomen novum fuisse; vid *Cels. L. IV. Cap. 13. 14.*

Gravis illa Iliaca passio ex Colica quandoque nascitur, si nempe motus isti membranarum intestinalium sursum invertantur, qui motus cum a naturali & peristaltico intestinalium motu prorsus alieni & contrarii sint, mirum non est, si summe anxia & confusa Natura, in vitali etiam reliquo negotio perturberetur, & huius desperabunda desertione, de qua pulsus languidi & parvi testari possunt, se ipsam destituant. Provenit etiam Colic

Colica non praegressa, & Hernias praetera supervenire potest. *Sydenhamius* omnem Ileum extra Febres, nothum, in Febribus, verum vocat, cui medetur sale Absinthii cum succo limonium permixto, quod a Riverio primum usurpatum legitur; huius caussa videtur, quod sal istud, ut vocant, medium seu enixum, inflammationem intestinalem, a bilioso humorate productam, peculiariter dissolvere & refrigerare videatur. *Hippocrat.* *Seç. III. Aph. 22.* Volvulum inter Autumnales recentet morbos, quod de eo praecipue intelligendum venit, qui ex ingestis crudis, quae eo tempore potissimum suppetunt, oritur.

Catarthus suffocatus, qui idem videtur cum Asthmate graviore, cum partes nobilissimas, respirationi & sanguinis motui inservientes, adeoque vitae perennandae absolute necessarias, graviter afficiat, diu durare nequit, quin vel ad mortem, vel ad reconvalescentiam terminetur.

In Syncope autem, ubi pulsus & motus plane abolentur, repente etiam vita cessat, quae tamen facile reddit, si non tam materialis, quam pathetica caussa in culpa fuerit.

Apoplexia, cum omnis motus fontem & Animae domicilium obsideat, urramque tam animalem, quam vitalem facultatem laedit, prout vel cerebrum & substantia eius medullaris, vel cerebellum cum nervis inde progredientibus comprimitur; unde quidem, cum *Willisius* cerebrum actionibus animalibus & voluntariis, cerebellum autem vitalibus & involuntariis destinat, plerumque sane, (ob facilorem & frequentiorem extravatati sanguinis in cerebri ventriculos irruptionem) contingit, in Apoplexia rationis actiones & voluntarium motum aboleri, & ictusmodi quidem Apoplexiā minus esse fortem, fortiorē vero, immo fortissimam, si cerebelli fontes obstruantur, quae cessantibus hinc vitalibus motibus nullo modo curari potest, & intra paucarum horarum, immo momentorum spatium hominem interficit, cum levior Apoplexia ad aliquot dies durare queat. Accusat *Hippocr.* *S. III. Aph. 23.* tempus hiemale, & *Aph. 16.* imbres assiduos, quibus *Waldschmid.* *Disp. XXXII. Cap. 7.* iungit Solsticia, Aequinoctia, Pleni & Novi lunæ; ubi Lunæ phasibus, aliisque vagabundis luminibus maximum in corpora nostra dominium esse agnoscit. Non est locus nec opus de consensu caussalitatis cum stomacho, unde *Langius* sali vitrioli, hic minus residit, tantum elogium adscripsit in *Misc. suis Curios.* nec de complicatione cum Catarho suffocativo, nec de habitu huius morbi ad Aetatem, quem inferius trademus, multa verba facere.

Ad

Ad Paralyſin , in quam non raro definir Apoplexia , properamus . De qua breviter notamus , quod licet , ubi iam facta est , affectus magis Chronicus sit , ob celeritatem tamen generationis , & quod vel ex Acutissimo morbo , vel per se etiam confestim fiat , hic non praetereunda vila fuerit . Durat enim alias per multos saepe annos , quamvis ubi lingua simul affecta fuerat , cui memoriae debilitatio semper successerat , in annosioribus intra annum forte recruduisse fortiorem Paralyſin , aut potius Paraplexiam , cum funesto eventu observarit Stahl . Theor . Med . p . 1201 .

Catalepsis seu , ut Veteres vocabant , Catochus , & qui idem viderur Tetanus , Paralysi non incommodè iungitur . Cum enim Paralysis , ex mente Stahlii , sit ingens tonici motus remissio , & contumaci movendi aversione proveniens , Tetanus contrario modo se habet , utpote in quo maxima tonici motus intensio observatur , ita ut musculi , sicuti in Paralyſi ex remissione , ita in hoc ex intensissima distensione voluntarios motus obire non possint . Qui proin affectus , licet convulsionis quedam species videri queat , non leviter tamen a Convulsione striete dicta differt , de qua re videri omnino merentur Commentarii Hollerii ad Aph . Hippocr . Sect . IV . Aph . 57 . Sect . V . Aph . 6 . & praecipue in Schol . ad Aph . 13 . Sect . VII . ubi ex mente Hippocratis , qui ὅπας πάντας passim nominat & disiungit , hos invicem ita , ut speciem a specie , aut genus a genere distare docet . Pereunt crudeli hoc affectu correpti intra dies 4 . ex Aphor . 6 . Sect . V . prima videlicet periodo , h . e . quaternario primo , quo morbi Acutissimi terminari solent . Cum enim ingens illa tonici motus exacerbatio intolerabilem dolorem coniunctum habeat , non tantum in confusione agitur Natura , & similes contentiones in reliqua partes , vitalibus actionibus dicatas transferuntur , id quod ob analogiam involuntarii motus facilime contingere posse arbitramur , ( cuius indicium esse potest , quod Hippocrates de lethali Tetano refert , porus nempe & ciborum per nares regurgitatio , de Dieb . Judic . C . V . v . 7 . de Morb . L . III . C . XIII . v . 10 . & de Int . Aff . C . LIX . v . 8 . ) sed & respiratio ad vitam conservandam absolute necessaria , gravissime laeditur , unde facies talibus rubicunda fit , advertente Hippocr . L . III . de Morb . C . XIII . v . 8 . Ubi licet Hippocrates lethalitatem huius morbi ad 5 . 7 . & 14 . usque dies extendat , Aphorisma tamen , quo Veteres universales , ex multis particularibus defumptas , veritates cum singulari gravitate & iudicio complexi sunt , plus videtur esse tribuendum .

Ad

Ad defectus motuum, qui satis acute decernuntur, pertinet etiam Ischuria, ex qua annotante Senn. Med. Pr. L. III. P. 8, Sect. 2. Cap. 2. §. 1. Progn. it. L. III. Part. 7. Sect. 2. Cap. 1. Progn. §. 2. post 7. diem, licet iterum urina reddatur, aegri tamen plerumque pereant. (Quamvis Iohson. Synt. M. Pr. L. V. Tit. 9. C. 2. Art. 3. undecimo & 19. curatae exempla referat.) Cuius rationem loco priore reddit eam, quod febris superveniat, ob quam moriantur; verum non tam febris, quam noxa illa quae reliquis humoribus, & forte etiam solidis partibus, ab acrimonia urinae affricata fuit, in culpa esse videtur, atque hac de causa febrilis motus, quem utiliter semper a Natura suscipi cum prudentioribus statuiniis, effectum salutarem assequi non potest. Abunde autem constat, quantae pro avertenda corruptione necessitatis sint secretiones & excretiones debitae, ita ut in his verum proximum vitae instrumentum ponat Pathologiaeerioris Auctor. Adeo ut retento, insigni quotidie copia excernendo humore, qui de particulis fermentativam corruptionem inferre aptis, salinis videlicet & non leviter biliosis, abunde participat, mirum non sit, si Acutorum classi inferendus sit praesens affectus. Obiter mentionem facimus differentiae illius, qua vel excretio secreti urinarii humoris per vesicam impeditur, vel is eo non pervenit, ob intermissam ipsius in renibus secretionem, de qua non paucae prostant observationes Ischuriae lethalis, tum in febribus, tum extra febres observatae, salvis renibus & libera, immo vacua, vesica urinaria, Quas posterior diligentiores, quam haec tenus factum est, inquisitionem meretur, & considerari circa eam potest, tum quid Ms. S. crasis, tum quid spasmodica forte constrictio quaedam, in ea producenda valeant. Licet vero affectui huic Ischuriae nomen minus quadret, cum, ut Corraeus definit, ei proprie, quae cum vesica plena sit, excretioni laesae competit, maluimus tamen hic communem usum sequi, quam novum affectus, nondum satis explorati, nomen proferre.

Activae Acutorum motuum laesiones observantur in Febribus Primariis omnibus: ex Secundariis, aliae periodi sunt acutioris, aliae tardioris & ad Chronicos morbos magis accedunt. Primariae Febres, cum suas res proprias habeant, nec ut Secundariae, ab aliis affectibus pendeant, habent propterea periodos & typos constantiores, qua de causa, tanquam norma aliqua, iure reliquis praemittendae sunt. Dividuntur commode a motu suo, in Intermittentes & Continuas: Intermittentes sunt, Quotidiana, Tertiana, Quartana: Quintana, Septimana & Nonana ab Hippocrate

*poerat* nominantur, quin & terminus ipsarum assertur, *Epid. L. 1. C. III.* v. 24, 25, 27. ita ut Quintana pessima omnium, Septimana longa, sed non lethalis, Nonana adhuc longior & non lethalis dicatur; verum ob parcam harum apud Hippocratem non minus, quam reliquos Autores, mentionem, appetet eas valde raras, vel Quartanae potius soboles esse: referunt *Tulpius* & *Ionstonus*, sibi visas semel Quintanas. Intermittentes compositas, cum perversae medicationi ortum plerumque debere videantur, transimus.

Tertiana Febris, exquisita praesertim, omni aeo notissima & celeberrima fuit, ita ut, tanquam omnium exquisitissima, pro exemplo & cynosura reliquarum, ab Antiquis aequa recentioribus ponatur. In hac enim motus maxime ordinati, vegeti & efficaces observantur, ita quidem, ut cum Febris proprie sit motus Naturae ad salutem tendens, raro ab isto scopo hic aberret Natura, sed eum frequentissime soleat attingere, modo aliena arte non interturbetur. Praeterea in hac Febre maxime consulto agere videret Natura ideo, quod motibus repetitis, & interposita quiete recollectis viribus, materiam morbificam aggrediatur, idque tanto quidem successu, ut, si non omnem, potissimum tamen eius partem, singulis paroxysmis, posterioribus maxime, e corpore aegri proscribat. Facit id 4, 7, 10, ad 12, summum horis; quae ulterius producitur, notha vocatur, in qua videlicet omnia symptomata (rigor, calor, pulsus, urina minus tincta) remissiora sunt, nec tanto conatu materiam morbificam aggreditur Natura, unde, quod motibus activis & vegetis breviori tempore non potest, mora & longitudine perficiat, necesse est; paroxysmi ideo non tantum ultra 12, horas protenduntur, sed & totius motbi decursus longius protrahitur. Cum enim exquisita Tertiana 7, plerumque periodis iudicetur, ut habet Hippocr. Aph. 59, S. IV. notha ad 14, usque non raro profertur, & advertente Foresto de Febr. L. III. Ob. 13. Schol. in mensem, in dies 40. nonnunquam in 6. menses porrigitur, & in via lichenis aut ventriculi definit. Cum porro, ut optimus ille Hippocratis interpres, Hollerius, ad hunc Aphorismum notat, qualis dierum ratio in Febribus Continuis, talis sit perlodorum in Intermittentibus, consonum est, ut, sicuti Continuae Febres non eodem momento dignuntur & ad statum perveniunt, sed per gradus ascendunt, Intermittentibus id similiter obveniat. Id quod non tantum a laudato Hollerio de Morb. Intern. Cap. de Tert. & P. Foresto de Febr. L. III. Obs. 6. sed & a Waldschmidio Prax. Cas. 21. in Tertiana praesertim, observatum, ita ut paroxysmi ante & post quartum

quartum sint mitiores, quartus autem vehementissimus, ac in specie, pri-  
mus mitior quam secundus, secundus quam tertius, tertius quam quar-  
tus pronuntientur ab Hollerio & Foresto. Quae sane observatio pro me-  
dicandis hisce Febris insignissimum in praxi usum habet. Enim vero  
ut 4. Paroxysmo semper statum adipiscatur Febris haec, non necessarium  
est, cum mitior & ante 7. periodum terminanda, possit & post tertiam  
& 2. vigorem amittere; id quod confirmatur etiam a Baglivo *Prax. Med.*  
*L. I.* ubi si 2. Paroxysmus sit vehementior primo, 3. vero mitis, tunc  
Febrem circa 4. paroxysmum totaliter cessaturam afferit. Caussas quod  
attinet, cur tertio quoque aut alternis diebus repetere soleat haec Febris,  
de his taedet vel mentionem facere inanium pigmentorum & ludicru-  
rum commentorum, a Recentioribus excoagitorum. Dicunt equidem  
probabiliter saniores, materiam morbificam singulis excludi Paroxysmis,  
inde sequi apyrexiam, ( quod, si rem rotunde eloqui velis, nihil aliud  
est, quam motus febrii, tanquam non necessarios, intermitte, reaslu-  
mi vero, ubi nova materia congesta fuit, ) si vero consideremus, priori-  
bus illis Paroxysmis, ad 4. usque, siccis penitus & aridos permanere  
patientes, & non nisi post 4., cocta nempe materia, sudores fluere, pro-  
ut hae circumstantiae ab accurato illo observatore *Stahlio de Aesu Mar.*  
*Micr. Th. VIII.* notantur, quin & anniversariae febrii commotiones  
perpendamus, tunc haeret omnis eiusmodi aetiologya, ut nobis quidem  
videatur, nulla praefente materia febrii, posse nihilominus Naturam,  
ex tacita quasi vitali memoria, repetere motus ante hac celebratos, &  
praesentem etiam atque abundantem, non aestimari ab eadam Natura,  
ceu a qua, non penitus libera & expedita, sed aliis humoribus adhuc remixta  
& involuta, non tam praesens corpori periculum immineat, ut pro ea  
emovenda statim laborare necesse habeat. Ceterum materiam illam na-  
turae potissimum biliosae esse, multa sunt quae probant, symptomata  
nempe praecordialia, excretiones biliosae, quin & caussae procatarepticae;  
ita enim *Galenus de Cris. L. II. Cap. 3.* pro Tertianarum generatione requi-  
rit tempestatem aridam & calentem, ( qualis & a *Bartholino 1652.* obser-  
vata ) aetatem autem consistentem & naturam biliosam, quae in labori-  
bus, vigiliis, curis & inediis versata fuerit, quale quid de se ipso, Febre hac  
prehenso restatur *Forest. de Febr. L. III. Obs. 2.* Ubi sane diligente scruti-  
nio digna est observatio Veterum, a Junioribus, cum eius caussam igno-  
rarent, insuperhabita, de motu bilis diebus alternis, pituitae singulis, me-  
lancholie quarto quoque die: sicuti expendi etiam pereretur specialissima

illa observatio, de motu sanguinis matutino, bilis in meridie, melancholiae velperi, pituitae noctu, (quod quidam ad horas usque determinare ausi sunt, prout apud Sennert. de Febr. L. II. cap. 19. videre est) & generalior illa ab Hippocrate iam facta, quod videlicet Vere Sanguis, Aestate bilis, Auctumno melancholia, Hieme pituita potissimum augeantur; vid. L. de Humor. C. VIII. v. 14. & de Nat. Hum. C. XVI. Loquuntur paucim observatores de insultu Tertianarum circa meridiem, vulgata autem est distinctio circa tempus anni, in Vernalis & Auctumnalis; ubi tum Vernalis, tum Auctumnalis, solum circa Aequinoctia comparere debere, non existimandum est, cum Sydenhamio de Morb. Epid. C. I. p. m. 9. advertente, morbi, qui Epidemicē moveri & multos apprehendere solent, & sua tempora habeant principii, status & declinationis, ita ut Vernalis Ianuario & Februario increbescant, circa Aequinoctium vernale ad statum perveniant, circa Solsticium aestivum autem declinent, quo Auctumnales primum comparent, & ob aëris caliditatem Continuas Febres non raro aemulantur, circa Aequinoctium auctumnale statum adipiscuntur, ingruente vero brumali frigore penitus extinguntur, ita tamen ut ex Auctumnalibus Febribus Tertianae & Quartanae ut & Dysenteria duobus amplius mensibus non multum grassetur. Solent autem non raro Epidemicē grasseti huiusmodi Febres, Auctumnalis praesertim, quales a Bartholinio in Dania 1652. post Aestatem calidissimam, in Anglia 1658. a Willisio 1660. 61 62. 63. 64. & 1677. ad 1685. a Sydenhamio, & in Belgio 1556. a Foresto, & 1667. a Sylvio observatae; ubi licet Forestus suas aestivas nominet, de Febr. L. III. Obs. 4. sub sequentes tamen observationes, quibus Augustus & Sept. frequentissime nominantur, non nisi Auctumnales, quae Aestate coeperint, fuisse, testatum faciunt. Vernalis & Auctumnalis sunt, quas Ramazzinus annorum 1690. 91. descripsit, rusticanae praecipue genti, post magnas pluvias & fluminum exundationes familiares. Ad tempus & durationem tum Tertianarum, tum aliarum Intermittentium, pertinent effata Stahlii Probl. p. 5. 6. 17. 18. Intermittentes anticipantes, item parum rigentes, multius vero aestuantes, itemque duplicitas in continuitatē vergere: quae statas horas servent, & languorem maiores, rigorem vero & aestum segniorem habeant, contumaciōes esse: constanter paroxyzantes, si longitudine paroxysmorum gradatim decrescant, optimae spei & eventus esse: quotquot statis horis redeant, & de cetero quoque tolerabiliores sint, antemeridianis horis Paroxysmos suos inchoare: & ex sententia Sennerti postponentes, & gradatim

datim decrescentes solutioni proximas esse, *Instit. L. II. P. 3, cap. II, p. 698.*  
spectat etiam *huc Aph. 30. Sect. IV.*

Quartana Febris, licet Chronicis accensenda videatur morbis, eo quod longissima & maxime diurna sit prae omnibus aliis, si tamen in essentiali sua ratione, febrili nempe constitutione consideretur, cuius in Intermittentibus non dies, sed paroxysmi sunt numerandi, prout ex ipso Hippocrate docte monet Hollerius ad *Aph. 59. Sect. IV.* qui paroxysmi ex Sydenhami computo 6. mensibus horas efficiunt 336. respondentes totidem horis dierum 14. quibus continuas febres depugnare solet Natura, Acutis potius, quam Chronicis accensenda videbitur; quamvis dum Sydenhamius singulis paroxysmis horas 5. cum dimidia tribuit, id nos dubium tenet, quod reliqui auctores Quartanae paroxysmos diurniores multo assignent, horas nempe 12. ad 20. usque tribuendo, ita ut diei naturalis tres plerumque partes occupent: similiter in Tertiana, si cuique paroxysmo tribuas horas 12. septem periodi, quae ipsi tribuuntur, dabunt horas tantum 84. quae sunt quarta pars dierum 14. seu dies 3. cum dimidio. Ne tamen in tam bona causa destituantur laudatissimus vir, dici posset, horas illas 84. Tertianae, Septenarii rationem satis servare, dimidium videlicet eius, in Quartana vero plures horas cuique paroxysmo tribuendo, 12. nimur vel 16. refultare inde duos tres menses, Quartanae durationi assignandos, & dies circiter 40. quibus Quartanario cum Febre conflandum sit, qui terminus sicuticum 60. ab Hippocrate de Dieb. Ind. C. X. ultimus statuitur Februm, longioribus istis Quartanae paroxysmis apprime respondet, sicuti brevioribus & paucioribus, extreme & peracutis Febribus, quae primae septimanæ dimidio iudicantur, satis congruit Tertiana. Incipiunt Quartanae, ita habet Dodonaeus Prax. Med. C. V. declinante Aestate, veluti & singulares accessiones declinante die ac post meridiem invadunt: (quod confirmatur etiam a Fernelio L. de Abdit. Morb. Can.) quaedam autem sub finem Aestatis ante Aquinoctium Autumni superveniunt, quae breviores sunt: aliae post Aquinoctium vernum, quae diurniores. Status Quartanae Solstitium est hibernum, praeferrim earum, quae purae sunt & Autunnales; nam spuriae biliosae, quales sunt Aestivae, prius quandoque terminantur, vel multo ultra perseverant. Haec Dodonaeus, quae pleraque quidem egregia sunt, sed quae de Aestivis habet, modo brevibus, modo longis, non nihil ambigua videntur. Spectat *huc Aph. 25. Sect. II.* Aestivae Quartanae maximam partem sunt breves, Autumnnales vero longae, maxime quae ad Hiemem

D 3 pertingunt;

pertingunt; breves sunt quod Natura a calore solari multum adiuvetur,  
 longae vero sunt Auctumnales, quoniam M. S. crasis a praecedente calore  
 aestivo magnopere alterata & depauperata est, seu, ut *Sydenhamius de Morb.*  
*Acut. C. V. p. m. 65.* loquitur, ab Aestate praecedenti plurimum adusta &  
 spiritibus suis magnam partem exuta, ut ebullitione sua non nisi tardissimis  
 motibus defungatur, suaeque despumationi longissimam periodum  
 postuler. Unde etiam est, quod *Hippocrate observante*, Auctumnus ad  
 morbos submovendos omnino minorem commoditatem habeat, quam  
 Ver & Aestas, & quod post Aestatem calidiorem frequentes fuerint Quartanae,  
 sicuti ex observatione *Sennerti de Feb.* L. II. cap. 17. & 20. post in-  
 solitum Aestatis calorem & squalorem anni 1616. adeo Epidemicae factae  
 sunt Wittebergae & toti fere Germaniae, ut & infantes corriperent,  
 cum alias consistentis magis aetatis, & ex *Hipp.* L. de Nat. Hum. C. XXIX.  
 v. 3. annotatione, ab anno 25. & 45. aggredi soleant. Eadem quoque de  
 caussa aliis Febribus praegressis, sicuti post Tertianas Epidemicas obser-  
 vavit *Sydenhamius*, succedere solent, & corripiunt quoque frequentius  
 Melancholicos & Spleneticos, ut *Stahl* notat in *Probl.* p. 18. Segniores  
 quoque naturas, in quibus videlicet pars sanguinis terrestris vel aquae abun-  
 dat prae reliquis. Atque hinc cum istiusmodi materiam minus mobilem  
 pro caussa agnoscat Quartana, que praeterea ad putredinem concipiendā  
 & late diffundendam minus apta est, poterit rationi facile constare, quare  
 paroxysmi non tantum segniius repeatantur, sed & his ipsis parum omni-  
 no perficiatur, immo licet frequentius suscipiantur, in indomabili ma-  
 teria plus praestari non posse, cum restetur experientia, mitissime tractan-  
 dam esse hanc Febrem, nec commotiones eam sine damno ferre posse,  
 unde quidem duplicari & triplicari Quartanae, sed hoc ipso in statum  
 multo peiorum deiici possunt; quod *Galenus L. de Praec. ad Postb. C. II.*  
 & III. in *Eudemo Peripatetico ab ulo theriacae*, a Medicis Romanis praes-  
 scriptae non tantum vidit, sed & ante eius usum ita futurum praedixit,  
 & quod amplius est, Philosophum a Medicis pro desperato relictum, ea-  
 dem theriaca, in tempore exhibita curavit, unde magnam nominis cele-  
 bratatem consecutus est. Ex loco *Dodonaei* superiori recensito, constare  
 poterit, quod auctumn. Aequinoctio surgere, hiberno Solsticio statum  
 adipisci, & verno Aequinoctio declinare soleant Quartanae; non raro  
 tamen in Epidemica constitutione maturius & circa aestivum Solst. in-  
 gruere solent, quod observavit *Sydenb. Morb. Acut. C. V. p. m. 58. & 63.*  
 Regulariter quamque Quartanam annuam censet *Gordonius*, latius tamen  
 videtur 6, cuique menses adscribere, quod tempus in infantibus, qui nul-  
 lam

Iam plerumque medelam agnoscunt, & de periodo naturali maius ide<sup>o</sup> indicium dare possunt, obseruavit Sydenham, *ibid.* p. 61. Ab Aequinoctio ad Solstitium moveri agnoscit Sennert. de Febr. L. II. Cap. 20. & ideo 4. cuique menses adscribit. Refert Avicenna visam per 12. annos, Mafarias vero per 22. An etiam quod volunt aliqui, Quartana fuerit febris, qua Maecenas per totam vitam detentus fuit, ut Plinius habet, L. VIII. Cap. 21. in dubio relinquimus. Quod vulgo tradunt, eundem hominem bis Quartana non affici, fallsum comperit Senn. de Feb. L. XX. de quo tamen non praetermittenda est notabilis obseruatio Sydenhami, quod cuiuscunquam demum aetatis & temperamenti fuerit, qui Quartana corripitur, si quolibet alto vitae tempore (vel etiam ab hoc remotissimo) eadem semel laboraverit, non diu eum secunda vice fatigaturum morbum, sed post paucos aliquot paroxysmos sponte sua solutum iri.

Quotidianae Intermittentes rarissimae sunt, non tamen, nullas prorsus esse, ut Platerius vult, testatur tum ampla harum descriptio apud Galenum L. II. de Cris. C. V. tum peculiares obseruationes (vid. Foreb. L. III. de Febr. Obs. 20. & seq.) tum praecipue, quod Hieni assignentur & accessiones habeant prope noctem, unde quidem probabile, nocturnas esse, quas Hippocr. Epid. L. I. S. III. v. 22. memorat, & non admundum lethales, verum longas esse dicit. Cuius quidem raritatis causa videtur, inhabilitas pituitae ad putredinum, partis videlicet sanguinis mucosae, extera copiosa & multa humiditate, pauciore autem pinguedine constantis, ceu a qua pinguedine omnes p. n. agitationes & commotiones humorum eximie foventur, quin ad suscipiendam putredinem disponuntur, ut non mirum sit, omnia in hac Febre remissius, sed & diurnius peragi, ita ut paroxysmi tres diei naturalis partes plerumque expluant. Viderur igitur in materiali sua causa satis cum Quartana convenire, ea tamen differentia, ut materia febrilis quartanaria magis mixta sit, ex fece quasi sanguinis, evaporatis & consumptis portionibus tenerioribus & nobilioribus, remanentibus autem spissioribus & tenacioribus (quae a pinguioribus tenacissima restant, & exustum indomabile biliolum  $\pi\alpha\mu\alpha$ , veteribus atra bilis vocatum, constituunt) & parte sanguinis naturaliter crassiore terrea constans, in Quotidiana vero magis homogenea videatur, ex portione nempe terrea, in multa humiditate disgregata, tantum fere congesta. Quam sane substantiam in vitio hic esse, poterunt indicio esse symptomata circa primas vias conspicua, languor nempe & cibi fastidium, cum ventriculi coctione depravata, quae ab omnibus in hac Febre accusatur, & ad hanc emen-

emendandam praecipua curatio dirigitur; ( ubi neminem ignorarurum  
 spero, quod naturaliter mucositas illa per intestina secernatur, & horum  
 tunicas interiores obvestire soleat &c.) Sicut & notabilis est distinctio,  
 quam *Galenus* habet, ex praxi enatam, de pituita acida, salsa & fatua,  
 quarum prima a forti frigiditate, altera a forti calore, tertia a levi calo-  
 re ipsi producta existimatur; quod ut nostrum non est explicare, ita suf-  
 ficit notare, quod tertia illa species hisce Febribus satis conveniat, se-  
 cunda vero Continuis Quotidianis apprime respondeat, & omnino ali-  
 quid hic dictum sit de efficacia caloris in pituita salsa, materia videlicet  
 motu intimo subtilissime conquassata & ad naturam salinam attenuata.  
 Huiusmodi enim salam pituitam testantur omnia fere symptomata Quo-  
 tidiana Continuae Veterum seu Catarrhalis Recentiorum, quam modo  
 recensendam sumimus, tanquam prae omnibus Continuis Paroxyzanti-  
 bus, nostris temporibus familiariorem. Cum autem Continuas nominamus Febres, istiusmodi materiae qualitatem esse probabile ducimus, quae  
 multo magis, quam in Intermittentibus ad nocendum apta sit, magis  
 fortasse libera & soluta, & magis etiam heterogenea, atque ad pu-  
 tredinem suscipiendam & diffundendam magis prona. Cui putredi-  
 ai, cum subtilissima & agilissima sanguinis portio, non globulosa illa  
 rubicunda, sed ex hac resultans excrementitia tenerime saliti seri locie-  
 ratem ambiens, & cum hoc pro noxiis effectibus praecavendis, notabilis  
 indesinenter quantitate, pro ut ex Sanctorio constare potest, insensibili  
 transpiratione evacuanda pinguis adhuc & oleosa, quam biliosam Veteres  
 dixerunt, eximie faveat, non immerito proinde ab Hippocrate Febrium in ge-  
 nere materialis causa statuitur bilis, L. de Nat. Hum. C. XXVII. & de Morb.  
 L. II. & IV. Huius itaque materiae diversum statum & remissionem cum  
 aliis humoribus, diversum Febrium statum & differentias caussari existimamus,  
 ita ut in Tertiana Intermittente opinamur enim in Intermittentibus materi-  
 am morbosificam non penitus inclusam esse visceribus quibusdam, sed per  
 vasa etiam ex parte diffundi. ea satis commixta & non prorsus subtilis, in  
 Quartana & Quotidiana Intermittentibus valde parca, minus subtilis & minus  
 etiam diffusa sit, in Quotidiana Continua parca quidem, sed late diffusa, in  
 Tertiana Continua magis tenuis & diffusa quam in Intermittentibus, magis  
 autem copiosa aliquantum crassior, & non tam subtilis quam in Continua Quo-  
 tidiana. Cum enim pituita ista salsa Veterum seu seru sanguinis tenuius & excre-  
 mentitum Recentiorum, humor sit valde tenuis & halituolae divaporationi  
 per transpiratum proxime expositus, mirum proinde non debet esse, quod  
 Catarrhales Febres sint magis Epidemicas & Contagiosae, quam reliquae  
 emines,

omnes, ne Peste ipsa quidem excepta. Et quo magis biliosa putredine imbuitur iste humor, tanto quidem graviores fiunt istiusmodi Febres, simul tamen non tam valde Contagiosae, & quo minus eo tinctus, eo subtilius fiunt Contagiosae, prout exemplum huius praebent mitiores Catarrhales Febres, intensiore istiusmodi putredine & corruptela biliofa destituae, quae celerrime quaqua verlus diffundi solent, quale exemplum praebet Epidemica Catarrhalis Anni 1580, quae annotante *Forest. L. VI. Ob. 3.* sex septimanarum spatio, universam Europam pervasit, & integras corripuit familias, quamvis benignius soleret agere, ut vix millesimus quisque interierit, si moribus sibi relietus esset, unde quidem non adeo convenienter malignam vocat, *Senn. de Febr. L. IV. C. 1. 17.* Visa primum est sub Sirii ortum, & maxime circa Novilunium Aequinoctii auctumnalis vires acquisivit. Refert *Sennertus ex Valleriol. Append. Loc. Com. C. 2.* similem morbum 1557. & antea etiam 1510, quin & 1591. Febrem Catarrhalem, licet non eadem plane facie, in Germaniae plurimis locis viguisse. Nos etiam vidimus ante lustrum circiter, eodem quo *Forestus* tempore notavit, eandem plane Epidemiam, sed mitiorem fere, & quae breviori tempore, uno nempe altero die terminabatur, instar aurae cuiusdam omnem pervallis Germaniam; in qua notabile erat, & celeritati motus proflus conveniebat, quod non sensim, earum instar, quae lente assurgunt, sed cito & repente, prout orta erat, paucarum septimanarum spatio rursus desineret. Legitima Catarrhalis Febbris exacerbationes quotidiana circa vesperam & occasum Solis habet, unde hoc tempus horam phlegmatis vocat *Forestus*; exoriri autem solet ante Aequinoctia, unde sensim assurgit, & sub Aequinoctio statum, inde vero declinationem accipit. Viderit equidem aëris frigida & humida circa Aequinoctia constitutio, productionis morbi, occasus autem solis, exacerbationum vespertinarum causa occasionalis esse, quatenus sub isto statu transpiratio insensibilis notabiliter laeditur, unde Natura, & febrilem motum vesperi maiorem seu exacerbationem novam quotidie suscitat, quaenam autem tum huius particularis, tum generalis illius Epidemicæ Constitutionis ratio sit formalis, id me cum *Sydenhamio* aliisque Candidioribus plane ignorare fateor. Qui de huiusmodi Febribus, solidam cupid doctrinam, inventiet eam Aphoristinū in *Probl. Pract. Febr. Path. & Therap. Inser. p. 9.* sub Quotidiana continua, specialius autem & per exempla in *Sydenhamii Sched. monitoria de Nov. Febr. Ingressu,* & apud *Fr. Moraeum de Mal. Febr. Parox.* Quas enim Auctor hic pro Continuis Tertianis duplicatis, & Quartanis triplicatis habet, non nisi Quotidianas & Catarrhales esse accurata symptomatum pensatio docebit. Ubi neminem movere debet,

quod generalius insultum & exacerbationem pomeridianam tribuat, quasi videlicet maturius, quam in Catarrhalibus consuetum est, ingruerint, cum hoc non obstante, & licet praematura exacerbationes intelligi queant, Catarrhes nihilominus esse potuerint; observante enim *Sydenhamio*, quo magis subtilis & noxia est Constitutio tam generalis, quam specialis in singulis morbis, (cuius apud eum Variolae exemplum luculentum praebere posunt) eo soleant insultus morborum maturiores & acutiores esse, quod de Febribus illis *Moraei*, satis profecto acutis & ut vulgo vocant, malignis omnino valer. Et quantum ego coniectando, quin & pensitando, aequi possum, non viderur alia, quam Catarrhalis esse Febris, atrox iste morbus, quem Hungaricum primum, postea Castrensem vocaverunt Febrem; siquidem collatio symptomatum, pleuriticorum nempe, perigneumonicorum, anginosorum, aphthiferorum, sed praeципue phreniticorum & petechialium, aliud nihil suadere videtur, & quod hic morbus truculentior sit in castris, diaetae militum vitiosae, aquis palustribus, vini autem, si abundet, ingurgitationibus insanis tribendum videtur, quae etiam causa videatur, insignis illius praecordialis doloris, in Hungarico morbo solennis, in Catharrali autem vulgari Febri minus obvii. Profecto primus, sed & simul accuratior de hoc morbo scriptor, *Tb. Jordanus de Pest. Phaen. Tr. I. C. 19.*  
*p. 22.* (ut ne, quae habet, symptomata plane analoga memoremus) invasionem circa 3. & 4. a meridiie horam, & exacerbationes vespertinas diserte nominat: augmenti etiam morbi versus Hiemem mentionem facit, Aestivo calore remissile dicit, quin & aeris constitutionem praegressam accurate describit, Vere nimurum prachumidam & pluviosam, Aestate & Autumno insolenter sicciam, cum Annus a Salvatore numeratur 1566. castris Invictiss. Imp. Maximiliani ad Comoram positis, ante quod tempus rarissimae fuerunt Continuae Quotidianae, ut non nisi pro complendo Systemate Artis a Doctoribus recensitae videri queant. Ceterum *Sydenhamius* Febrem suam, quam Stationarium appellat, Februario Anni 1685., qui mensis Epochâ morborum Vernorum, sicuti Julius Autumnalium, primum observavit, & ad Annum usque 1690. duravisse notat in *Processu*. Cuinam autem causae Constitutio ista tribuenda sit, dubius haeret, cum observarit nec similes, nec dispares manifestas aeris qualitates in eodem morbi genere producendo convenisse, unde quidem in *Sched.* illa *Monit.* suspicatur Constitutionum mutationes a secreta aliqua abditaque alteratione in terrae visceribus, atmosphaeram omnem pervadente, vel a corporum coelestium influxu aliquo pendere. Quicquid

quid istud sit, nec hoc eventus comprobavit, fore ut exolescente Constitutione Annorum 1677. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. quae Febris Intermittentes produxerat, Febris ita Depuratoria Ann. 61. 62. 63. 64. Intermittentium Auctumnalium soboles & pedissequa, cum subsecutis morbis postliminio reverteretur, quod in *Epistola ad D. Brady* coniecturatur *Sydenhamius*, cum diversa omnino, Catarrhalis nempe seu Stationaria ipsius, a priore Symptomatis & cura plane differens, suborta fuerit. Neque id sane praeter rationem nobis ita evenisse videtur, Febris enim ita Depatoria, Intermittentibus sub eadem Constitutione interspersa erat, Tertianis nempe & Quartanis post Auctumnnum vela contrahentibus, Depatoria succedebat, ante Stationariam autem Epidemica Intermittentium Constitutio ad finem properaverat, novae cuidam locum cedens. Unde quidem, favente praesertim Symptomatum similitudine, non male existimat *Sydenham de M. Acut. C. III.* Depotoriam illam Continuam (quam merito reliquarum omnium praecipuum & coryphaeum autumatur, quod Natura in hac prae aliis quibuscumque uniformiter & ad eandem fere normam, tum materiam febrilem ad debitam coctionem perducat, tum certo & praefinito tempore exigat elimineturque) fuisse quasi Intermittentium quoddam compendium, & rursus singulos Intermittentium paroxysmos compendium extitisse Continuae: Id quod iam suo tempore cognovit *Galenus*, dum *L. II. de Cris. Cap. VI.* manifesto pronuntiat, Febris Continuas idem habere genus cum singulis Intermittentibus, cum Tertia quidem exquisitam Ardentem, cum Quotidiana vero eam, quae quolibet die faciat accessionem, sed nunquam desinat ad apyrexiam, sic & cum Quartana illam, quae 4. quoque die paroxyzet. Idque probat tum ex symptomatum convenientia, tum crisiū etiam eventu, similitatione contingente; in Febre enim Ardentē aut sanguinem e naribus fluxurum, aut post vehementem rigorem, sudorem multum & calidum per totum corpus manaturum, aut per vomitum, aut per alvum biliosa excretum iti; *Vid. L. III. C. I.* Interpretratur igitur *Galenus* Febrem Ardentem seu καύσον pro Tertia Continua, nec reliqui contrariantur tum *Hippocratis*, tum ipsius *Galeni* Paraphraستae magis genuini; qui ulterius addunt differentiam, quod, sicut Tertia Intermittens duplex sit, exquisita nempe & notha, ita & Causum duplē fieri, unum magis exquisitum, cum adurente calore & siti clamosa, alterum mitiore & nothum. Causum autem *Hipp. Epid. L. II. C. I. v. 10.* & in notabili illo *L. de Viēt. Rat. in Acut. C. XXXIV.* aestivo tempore circa Solstictium gigni scribit, ex longo itinere & siti diuturna, cum arefactae venulae rapuerint in se acria & biloſa

lioſa rheumata, unde ſymptomata ſiant καυτούδεω, quae in ſubſequenti-  
bus deinceps reſenſer. Iſtiusmodi Ardentis Febris tribuant Autores exacerba-  
tiones, ( ſine rigore tamen, ut in aliis Continuis Paroxyzantibus ) diebus  
alternis, prout in Tertianis Intermittentibus ſolet contingere, & quicquid  
tere de imparibus diebus memoriae proditum reliquit Hippocrates, huic  
Febrium ſpeciei, in Graecia procul dubio, tanquam prefervida regione,  
in qua vina potentia crenſunt, minus rarae, quam apud nos ſeptrientio-  
nales, tribuendum videtur. Hic tamen repugnare videtur Stahl, dum in  
*Probl. p. 6. §. 1. 2.* Ardentibus Febribus exacerbatones affigat quotidiana-  
nas, ſemiterterianaria commotione, circa orrum Solis contingentes, & dum  
( quod tamen facile conciliari poſſet ) Poſtſolſtitiales eſſe enuntiat haſ  
Febrēs, quae ſint Bilioſae Veterum. Id vero magis adhuc rem implicata  
reddit, quod §. 20. afferit; quacunque alii horis invadentes Febrēs,  
praecipue vero vespertinis, cum aeftu arido, torrido, amaritie oris, illas  
bilioſas non eſſe, ſed vel ab iracundia, vel ab habitu macilento, vel  
primarum viarum cruditate provenire, & quod in *Diss. de Febr. Bilioſis*,  
quas tum Intermittentibus, tum Continuis Terrianis p. 6. contra diſtinguit,  
p. 9. docet huic contrarium: Cauſum nempe ſeu Febrem Ardentem  
eſſe Febrē ſympomaticam &c. a commotione bilis effuforia ab iracun-  
dia effera coortam &c. cuiusmodi Febris ſympomatica, qui Poſtſolſtitiali  
tempori alligari queat, non videmus, ut Symptomaticarum atypicam  
conſtitutionem non memoremus. Quain rem non tantum prudenti Pra-  
etorū experientiae, ſed multo magis doctae enodationi Stahlianae com-  
mendamus. Poſſet nobis hic aliquam affundere lucem *Sydenhami*, ni Fe-  
bris iſta Depuratoria multo minori accuratione, ac reliqui morbi, ab ipſo  
deſcripta eſſet; ita enim non tantum de exacerbatib⁹ ractet, ſed &  
ſilentio praeterit, quoque ſingulis annis progreſſa fuerit, & quoniam  
ab hinc tempore iterum emerſerit. Verum condonandum in hac parte  
Laudatiss. Viro, vel ea maxime de cauſa, quod prima fuerit iſta Febris,  
quae iſpi Natura methodum commonitavit, & ad penitiori mor-  
borum cognitionem viam aperuit; id tamen non obſcure licet collige-  
re, ad hiemale Solſtitium attinere iſtam Febrem, & id tandem extra di-  
uum eſt, non fuſſe ſympomaticam, nec Cauſum etiam ſtricte dictum,  
ſed tamen eo propius, quam cuiunque alii morborum generi acceſſiſſe.  
Id denique silentio non involvendum, quod *Stahlius Choleram* ad Bi-  
lioſas referat Febrēs, quae tamen, ſi, quod decet, *Sydenhamio* credimus,  
non cuiuslibet, ſed Auguſti tantum mensis fetus eſt, & breviſſima pe-  
riod⁹

riodo febrilem ferè circuitum eludit. Videntur nobis tum Tertiana, Intermittens aeq; ac Continua, tum Causus, tum Cholera etiam ita in vicem differre, ut species a specie, ut proinde omnes aequae sub Biliofis Febribus militare queant. Et Causus quidem inde duplex statui potest, unus nempe acutior Atypicus & Sporadicus, ab iracundia effera & subsequa commotione bilis effusoria oriundus, (qua de causa ad Secundarias potius Febres referendus esset) alter Typicus, cum Tertiana Continua idem, qui & Sporadicus, ab occasionibus nempe caussis seu sex rebus N.N. esse potest, (cuius exempla multa consignavit Hippocrates, & Diligentissimus etiam *Forstus Obs. de Febr. L. II.*) plerumque tamen Aestivo Solsticio contingit, & Epidemius potest fieri, quo pertinere existimamus Febrem Depuratoriam *Sydenhamii*, & gravem Epidemicam ab Augusto mense 1669. ad finem Ianuarii 1670. Leidae saevientem, a *Sylvio Prax. Med Tract. X.* fuse, licet non adeo accurate descriptam, utramque Tertianae Intermittentis affectam & pedisse quam. In Sylviana tamen Febre id nos dubii haber, quod Aequinoctialis potius, quam Solstitialis fuerit, interea ob symptomata biliofa, & quod Intermittentibus non tantum interspersa, sed & ex his saepe prognata fuerit, huius potius loci videtur. Id etiam obiter notamus, quod licet *Sylvius* aestum per universam paene Europam summum ac diuturnum praecessisse referat, in aliis tamen regionibus similis affectus non fuerit observatus, quin potius *Sydenhamius* diversum describat, finitiae Angliae, & Londino praecipue Epidemium, Febres nempe dysentericas, unde patet iterum non a manifestis aeris qualitatibus pendere morborum Epidemicorum genesin. Choleram vero quod attinet, non illam ex assumtis incongruis quocunque tempore oriundam, sed veram, (quam Epidemiam prae alio quicunque tempore observavit *Sydenhamius* Ann. 1669. & 1676.) quae Augusti fere mensis cancellis includitur ex Eiusdem observatione, pro Causi typici summo gradu haberi potest, cum observante eodem *Sydenhamio*, pulsus celer & frequens cum aestu & anxietate summa adsint, & de febrili commotione abunde testentur, vel si aliquando parvi & inaequales sint pulsus, id non tam ex Febris absentia, sed quod ea se ob gravissimas & desperabundas anxietates explicare nequeat, contingat, non fecus ac in Pepte non raro observatum fuit, quae etiam Augusto mense in summum gradum evenhit, & maximam nocendi vim acquirit; procul dubio, quod Sirio aente, materia morbifica impetuosis commoveatur. De Continua Tertiana ultimo addimus, quod a nomine exacerbationum tempus consignatum sciamus, praeterquam dubioso nobis loco Stahliano in *Probl.* de quo suspicamur

spicamus & quaerimus, annon obseratio ista de exacerbationibus quotidianis ad auroram ex Continuis Tertianis duplicatis prognata sit : quae an & quomodo a Semitertiana differant dispiciendum. Scribit alicubi Celeb. Wedelius, Tertiana Continguae periodos durare 10. & 12. horas: longiorum 7. vel 14. exacerbationibus terminari observar, motu videlicet Tertianae Intermittenti exquisite conveniente: Sennert. de Febr. L. II. C. 13, Tertianas Continuas frequentissimas dicit. Epialam febrem & Syncopalem iam cum Sennertus, & alii ante ipsum, Continuas Quotidianae accensuere: Lipyriam autem non nisi Biliolum esse controversam docet Stahl. Probl. p. 7. 8. nec alias census esse gravem illam Semitertianam Febrem, docere poterunt Spigelii observationes, in hoc morbo perentis institutae, videnturque accuratius contemplatae Semitertianae, in Continuis Tertianis eadem esse, quae sunt Duplices Tertianae in Intermittentibus; ita enim invicem sibi respondent paroxysmi & utrinque iidem sunt, altero videlicet die leviores, altero graviores, (cuius caussam reddiderunt ab experientia illa de bilis motu a tertio in tertium) ea tamen differentia, quod in Semitertiana uno die & quidem graviore, duae sint accessiones, altero & leviore una tantum, cum in duplice Tertiana una tantum, vel si, quod minus frequens, duae occurrant, alter dies liber sit. Quam sententiam ulterius confirmat observatio Foresti, de ortu communis & communicatione Duplicitum Tertianarum cum Hemitritaeis; vid. Obs. eius de Febr. L. V. Quamvis autem Semitertianam hanc tum Galenus, tum qui eum secuti sunt Auctores, ad certas regulas reducere annisi fuerint, ita ut eam ex Tertiana & Quotidiana compositam esse docuerint, (quarum prior mane aut circa meridiem, altera vesperi tantum accessiones habeat, & deinde & Tertiana more solito, diebus nimis alternis, & Quotidiana singulis, redeant) appareat tamen hoc ipso nihil magnopere esse actum, dum pro varia temperatura & mixtione humorum statum eius variari dixerunt, (hinc mitissimam accessiones habere 24. horarum, mediocrem 36., fortē 48. aut etiam Continuam esse) & manifesto testatur Galenus de Morb. Temp. C. VIII. aliam quandam esse, quae nec secundo die ferat accessionem, nec primo & tertio repetitiones, & hanc ipsam habere non unum modum ac simplicem; interdum enim sine horrore, aliquando cum horrore invadere, alias cum extremitatibus membrorum algentibus, vitam etiam citra sensibile frigus, & cum hoc ipso capite, tum alibi vocatur ipsi cum Hippocrate Φεγυώδης, horrida, in qua frequenter horrores contingent, quale quid in Febris Secundariis, ex inflammatione viscerali pendentibus, solenne est, ut proin haec Febris ea de caufa diligenter

ter

ter examinanda sit, num videlicet, tanquam Febris Secundaria, inflammationi superveniat, an vero inflammatio Febri non bene se exteriora verius explicanti, vel commotioni biliosae exitum non invenienti, succedat? Nos in re ambigua hic eam tantisper locare voluimus. Galenus Romae frequentes suo tempore, nimirum sub M. A. Antonino, observavit Semitertianas, & in hunc usque diem durant ibidem teste Baglivo *Pr. Med. L. I.* quod de Secundario huius Febris statu non leve indicium praebere potest. Epidemias Auctumni anni 1556, descripsit Diligentissimus *Forelius de Febr. L. V.* Tandem etiam Quartanae Continuae mentionem facere debuimus, nec enim praeter mentionem plura afferre possumus, cum ab omnibus Auctoribus rarissima dicatur: refert unum alterumve exemplum in habitu melancholico *Forelius de Febr. L. II. Obs. 34.* ubi in Schol. hanc Febrem 24. horas in summo labore, & 48. in falso quiete habere, & in Schol. *Obs. 35.* ex *Villanova*, eam ad diem 40. usque saepe extendi refert: in Hispania eas non raro observari testatur *Mercatus*, cui pro in genti eam enodandam relinquimus.

Post Paroxyzantes Primarias Febres sequuntur eae, quae ~~convexas~~  
i. e. continenter & sine intermissione solent affligere, & periodo quidem idcirco gaudent, typo vero destituuntur. Cum enim vitium hic haeret & diffundatur per M. tantum Sang. seu sanguis sit, ut Veteres dicebant, intra vasa putrescens, cum in Paroxyzantibus humores corrupti sint in proxima potentia ad subsidendum in propriis organis constituti, bilis nempe & pituita seu mucus, in hepate, vasis bilariis, ventriculo & intestinis, quin & actu in his deponantur, quod putredinem extra vasa (sanguis sua nempe, & maiora praeципue) vocabant, inde non incommodè rationem deduxerunt paroxysmorum, commotionum nempe particularium, seu conaminum repetitorum per speciales & directos ad certum locum motus, mediante tonica contentione, pro emollienda, abstergenda, abripienda, emovenda noxia materia, quae alias subsistens, non tantum viscus illud, cui infederat, corrumpere, sed & reliquum inde corpus eadem labe contaminare potis erat; quod cum in Synocho seu sanguinea Febre non contingat, ob putredinis longitudinem vel licet ea ex parte adesse concedatur, putrescentes, tenuiores nempe & agiliores portiones, per alias vias excerni queant, vel licet in corpore retineantur, in proprio potius loco secedere debeant, habitu nempe poroso, quo *yalgas* illud nutritivum naturaliter apponi solet, ad quem tanquam universalem, particulares commotiones ineptas sint, *aequales*

æquales autem & universales sufficiant, quin appropriatae prorsus sint, merito inde in hisce acquiescit, & speciales tanquam inutiles, neglit Naturæ. Immo ne actuali, non in hac tantum, sed & reliquis gravioribus Febribus putredine corruptum esse sanguinem, comparere poterit, tum ex eo, quod ante Febrium, Synocharum præcipue & Contagiarum insultum, exquisite sani erant aegri, tum quod nulla actualis & formalis putredo corrigi queat, v. g. in Sphacelo, ubi omnes actiones, desperato fine, tanquam media ad finem illum tendentia, omittit Naturæ. Unde quidem imminentem potius putredinem, summum Oeconomiae animalis hostem, prævertere studet prudens Naturæ, quae nempe ex sanguine, non tantum portione globulosa rotunda, quæ ita ex diutino attritorio motu resultat & sanguis strictissime dicitur, sed & præcipue parte illa γλαγόν nutritioni destinata & insigniter in futuros usus coacervari solita, & hinc stasi putredinosæ expolta, satis, ni emulsione aut laborioso motu minuatur, impendet. Quae sane febrilis commotio unicum hoc tempore instrumentum est, quo abundantiam excendentem per iugem sanguinis, mediante motu, in serosam vappam resolutionem & subsequam sudatoriam evacuationem imminuere potest, ni quidem in vegetioribus Naturis, diuturnum molimen evacuatione sincera antevertatur, in statu adhuc sano, vel alterato iam & febre suscepta, die critico, in mitiore nempe Febre & activitate vitali agilio-re, primo septenario, aut huius dimidio, vel ulterius etiam 11. & 14. die, si abundantia maior & resolutio sanguinis in serum minus prompte succedat. Quam naturæ methodum imitatus est Galenus copiosa sanguinis ad animi usque deliquium detractione, quæ se huiusmodi Febræ in principio iugulasse gloriatur IX. Metab. Cap. 4. ubi non contumendas instituti sui rationes reddit. Tamen in ista Quotidiana fere caussæ materialis præsentia, rarius Synochi solent contingere, quod & Galenus de suo tempore iam testatus est, argumento iterum manifesto, non tam physice aut mechanice produci Synochos, quin nec alias Febræ & morbos plerosque, sed potius finaliter & moraliter tum demum à Naturæ instituti, quando corpori, animæ domicilio, dampnum imminet, quod sub plethora seu nuda laudabilis sanguinis copia, salvis secretionibus & excretionibus, quibus agiliores & corruptivas portiones eliminantur, rarius omnino metuendum, aut longinquum potius quam præceps est, unde Chronicis morbis, a tentatis, sed non perpetratæ sanguinis evacuationibus pendentibus, ansa datur. Afferit Stahl. Probl. pag. 8. §. 1. summo mane ante diluculum invadere sanguineas Febræ,

&amp;

& esse Solstitialia: alii Artis Consulti, *Hippocratem*, qui Vere sanguinem maxime augeri edixit, sequuti, vernum tempus statuunt, satis ideo probabiliter, quod hoc tempore novo solis accessu, hemali otio & ingluvie coacervati humores, promptius commoveri queant. *Galenus* Synochi longum esse statum, immo totam hanc Febrem statum esse dicit, idque ob multitudinem sanguinis contingere: aliis vel οὐτούς seu αὔμασίδες, cum in eodem statu manet, & neque crescit neque decrescit, vel αὐταριδες ή τακμασίδες, cum accrescit & augetur, vel παραμάσιδες, cum decrescit, inter differentias ipsius motus recensentur.

Non inconsulto videtur quaestionem proposuisse *Senn. de Febr. L. IV.* Cap. 12. postquam Morbillos & Variolas Febres esse docuisset, ex quoniam dein Februm genere haec ipsae habenda sint? quam quidem quaestionem breviter & rotunde ita decidit: quod sint merito Febres ex sanguine ortae, quas Synochas, & vulgo cum Arabibus, conclusas seu conclusae caliditatis appellant. Et in sequentibus multam adesse in hisce Febribus putredinem probat, paullo ante vero docuerat, fieri Variolas & Morbillos per quandam languinis ebullitionem, & calorem aqualem per totum morbi decursum sentiri, quo utroque, tanquam argumento aliquo, usus erat pro concluenda Synochi specie. Quamvis autem rem ipsam ita quidem satis attigerit *Sennertus*, non tamen eam penitus introspexit, nec cognovit quinam nexus intercedat inter ebullitionem, putredinem & inflammationem. Praecedenti seculo rem hanc omnem magis explicavit quam quisquam alias, *Th. Sydenham*, quo docente primum constituit, quanam Inflammatoriae Febres sint; nostro vero tempore theoriam veracem dedit, lumen illud Medicum, *Georg. Ern. Stahl.* tum in Dissertationibus suis *de Ver. Inf. Path.* & *de Febr. secund. tum in Theor. & alibi.* Nobis satis est tantum nominare, quanam sint Inflammatoriae Febres, & unicum illud solidissimum argumentum afferre, quod ubicunque sit pus, ibi adesse, vel praecessisse inflammationem. Sunt autem harum aliae Primariae, Synochus videlicet, quem habuimus, & quae restant, Variolae, Morbilli, Petechiae, Pestis & Dysenteria, aliae Secundariae inflammationi iam factae supervenientes. In prioribus ipsa S. M. motu inflammatorio liberius inter se agitatur, unde periodi constantes magis & aequales solent procedere, in posterioribus sanguis stasi inflammatoria in viscere quopiam afficitur, unde periodi diversae & minus aequales prognalcuntur, quam rem praecipue explicatam dedit *Stahlus*. Variolas & Morbillos, graves utique morbos & ad Pestis saepe naturam accidentes, minime credibile est, priscis Artis Medicae Conditoribus, *Hippocrati*, *Galeo* aliisque Coaetaneis fuisse notos, cum minores multo af-

fectus intactos non reliquerint ; multo minus existimandum , quae de Exanthematibus passim tradiderunt , Variolis congruere. Quonam vero tempore primum in orbe comparuerint , minime etiam constat. Primi enim qui Variolarum mentionem fecerunt *Arabes* , non tanquam novum , sed notum quasi morbum tractant. Ex hisce senior *Rhazes* storuit circa annum a Christo nato 1070. secundum alios 1085. secundum *Ren.* *Moreum* autem 966. Unde probabile videtur tempore illo , quod ab inde ad *Galenum* usque , qui An. 161. & sequentibus sub Antoninis vixit , extenditur , praesertim vero ab eo , quo Barbari Italianam , bonarum Artium cum Imperio matrem , (ab An. 412.) vastarunt , & bonae omnes litterae extinctae fuerunt , subortos primum fuisse illos morbos , quos *Arabes* deinde , ad quos artes & doctrinac cum Imperii parte per Saracenos devenerant , tanquam non plane novos , sed iam ab aliquo tempore regnantes & quasi notos descripserunt. Nolumus hic commendare opinionem *Listeri* , qui in *Exerc. de Variol.* p. 5. existimat , eas a bestiola aliqua vel esa , vel ab eius morsu pri-  
mum ortas esse , inde vero in omnes homines , tanquam malum hereditarium propagari , cum praeter suspicionem nihil habeat verisimilitudinis , ni forte a serpentinibus illis Americanis , *Inguanas* vocatis , quarum esus Lue ve-  
nerea affectos laedit , malumque Sopitum resuscitat , probabiliter aliquam speciem arcessere lubeat ; maxime si consideremus cristatarum macularum , quae tum huius carnis usu nasci perhibentur , cum tuberculis & cristis convenientiam , quibus animal illud obsidetur , prout narrat *Ovied. in Hisp. Ind.* Verum utut haec res , de primo Variolarum ortu , sepe ha-  
beat , de periodo eorum generaliori observatum fuit , eas per Iustra ple-  
rumque grassari solere , exceptis populosioribus urbibus , in quibus fere contiuo , quamvis non eadem vehementia , reperiuntur , prout hoc ad-  
vertit *Listerus in dicta modo Exerc. de Var.* In Islandia vigesimo quovis  
anno periodicas , frequentes autem in Iaponia esse refertur in *Aet. Haffn.*  
*Vol. II.* Deinde *Sydenb.* advertente solent Variolae Regulares eodem modo  
ac Pestis surgere , Vere nimis , hinc auctumnali demum Aequinoctio  
statum adipisci , inde paullatim cedere , & adventante brumali frigore  
verti in fugam. Epidemicas is observavit Annis 1667. 68. 69. quae sub Ae-  
quinoctium vernum subortae fuerunt , post auctumnale vero semper re-  
cesserunt , & posteriore quidem anno , ne hoc quidam attigerunt , ita ut  
languescentes Augusto An. 1669. Dysenteriae Epidemicae locum cesserint.  
Irregulares autem maturius , prout morbi Anomali & maiori nocendi vi  
praediti solent , ingruunt , Januario videlicet , in quo convenient cum Mor-  
billis

billis, qui eodem tempore oriuntur & statum adipiscuntur, *Æquinoctio* scilicet verno, ad aestivum autem Solstictium evanescunt. Tales sunt Morbilli An. 1670. & Variolae Ann. 1670. 71. 72. it. Morbilli An. 1674. cum Variolis Anomalis 1674. 75. *Vid. Sydenham.* Ulbi notabile est, Irregulares semper fuisse Variolas, quae cum Morbillis subortas fuerunt, & quod Morbilli maturius abitum parant, unius nempe anni parte dimidia periodum & aetatem naucti. Specialem vero variolosae Febris periodum quod attinet, in duo tempora, a multis iam annis distincta fuit, *ebullitionis & expulsionis*, quorum prius tribus vel 4. prioribus diebus includitur, quo Febris maxime dominatur, alterum reliquo morbi tempore transfigitur. Specialissime illud ita comprehendit *Stabl. Diff. de Acris in Febr. & in Probl.* ut Variolae 3. die apparent, 4. prodeant, hinc magis magisque augefcant ad 7. usque, quo manifestius suppurafcant, inde ad 11. maturefcant, & ad 14. siccescant. Omnia vero accuratissime id consignavit genuinus huius morbi interpres *Sydenham*; distinguit nempe primum Variolas in Regulares & Irregulares seu Anomalas, utrasque vero in Discretas & Confluentes. Regulares Discretas 4. die erumpere observat, circa 8. rubore & in tumorem attolli, hinc rumpi, & die 11. faciei tumorem & inflammationem recedere, pustulas vero exarescere & 14. penitus perire, in facie potissimum: Confluentes 3. aut citius erumpere, & quo citius eo magis confluere, post 8. exasperari, 11. ptyalismuni in adultis, in junioribus Diarrhoeam supervenire, quae si fatiscant maturius, ni a faciei & manuum intumescentia iuventur, maxime tum pericitari aegrum, quod alias in Distinctis 8. contingat. Anomalas Discretas eodem quo Confluentes Regulares tempore, die nempe 3. erumpere, Confluentes autem nunc 2. nunc 3. die prodire, reliquum vero tempus praecoci eruptioni minime respondere; in Confluentibus enim die 14. demum, immo in crudore adhuc morbo, die 17. & tandem in crudissimo, 21. maximum aegro periculum impendere. Id etiam observatione dignum, quod *Sydenhamio* animadversum, aegros in vehementiore morbo sub vesperam paroxysmo quasi laborasse, & funestiora symptomata vespertinis praecipue horis se ostendisse & exacerbata fuisse; quo non obstante ex Continentibus Febribus morbus hic eximi nequit, cum inquietudo ista a vera paroxyzatione multum adhuc absit, immo consonum rationi videatur, ut in omnibus Continentibus tale quid sentiatur. Morbillorum eruptio ex eiusdem observatione 4. etiam die, rarius 5. succedit, 6. alperescunt, 8. evanescunt in facie, 9. nulli prorlus sunt. Cum vero

parium dierum ; 4. nempe & 8. toties mentionem faciat *Sydenhamius*, non existimamus eum exakte tales intelligere, sed potius tempus illud designare voluisse, quod imparibus, ab ipso etiam assumtis, 11. 14. & 17. respondet, primi videlicet Septenarii dimidium, & huius dein finem, vel si termini illi solennes varient, id fortasse ex purulentiae impeditiori progressu contingere, quamvis tum dubium iterum sit, cur reliqui termini non similiter protalentur. Confluentium autem maturom apparitionem, a praecoci nimium latagentis, sed graviter laborantis, Naturae conatu, forte non incommodo deducere licet.

Scarlatina Febris *Sydenhamio* nullo non tempore, sed tamen Aestate praeципue exeunte infantes praeter ceteris impetere observata fuit : levis est, & terminatur primo quaternario macularum, quam in Morbillis latiorum, eruptione.

Pestilentia, & sacris & profanis litteris testantibus, morborum fece omnium antiquissima, simul & trunculentissima est, tristissima experientia passim docente. Ac videtur dirum hoc flagellum ad castigandos & reformatos pestimos mortalium mores & errores subinde immitti, qua de causa etiam efficacia, pro hoc morbo curando remedia, adhuc dum desiderantur, multo minus Natura, sibi in plerisque morbis par medicatrix, satis facere hic sibi potest. Interea Divini Numinis misericordiam profundissime veneremur necesse est, quod atrocissimum hoc morbi genus rarius nobis transmitti, sed perditissimae potius sectae hominibus familiare & Endemium quasi esse voluerit. Ita enim illud raro satis & post 30. demum aut 40. annorum decursum Christianas provincias intrare Medicorum observationes testantur, cum in regionibus Turcarum dominati subiectis, satis familiare esse constet. Recenset *torstomus* apud Romanos per saecula aliquando, tum per Septuagesimum, tandem per 50. annum afflixisse, in Aegypto ut plurimum Septennio recurrere & in tertium annum plerumque durare, Constantinopoli esse trimam. Atque hac de causa *Heurnius* & *Hercules Saxonia*, Endemiam esse hisce locis Pestem, non adeo male statuerunt. Scriptere Chronologias Pestium insigniorum Fr. *Pienus* & Ath. *Kircherus*, quas levi opera supplere & hoc transferre possemus, si Dissertationis locus admitteret. Post generalem illam, specialior nunc consideranda venit Constitutio λοιμώδης, de qua notatum fuit, quod non facile ultra biennium aut triennium Pestis in eodem loco saevierit, & de cuiusque anni periodo satis constat, quod sub Aequinoctio Verno, sub velo Febris cuiusdam incognitae passim irreat, do-

nec

nec lensim cum calore evectus morbus ad Solstitium aestivum abiecta lat-  
va, termini brevitate, aegrotantium numero & externorum signorum  
apparatu, Pestis vera cognoscatur, quae dein Augusto & Septembrimen-  
sibus, ad Aequinoctium auctumnale usque immanissime debacchatur, quo  
praeterlapso paullatim imminuit & eodem, quo ascenderat, gradu ali-  
quantum licet lentiore, lensim reredit, & ad communem magis Februi-  
um naturam accedit, donec tandem ad hiemale Solstitium penitus inter-  
cidat, & aliis, quos fugaverat, morbis stationem & locum concedat; quam  
quidem periodum in urbibus populosis tervare solet, in pagis autem  
& locis minus populosis, nunc serius nunc ocyus orta, ob miasmata mi-  
nus multiplicata, breviori temporis spatio circuitum absolvit. In Ae-  
gypto autem diversum plane cursum obtinet, etenim cum auctumnali ap-  
paret Aequinoctio, hinc proressa ad Solstitium aestivum usque magnam  
stragem edere observatur, quo instante, utut atrocissima fuerit, dere-  
pente cessat, notante *Pr. Alpino*, Aegyptiacarum rerum bene gnaro. Id  
etiam observari meretur, & Naturae motus prorsus congruit, quod quo  
magis ab *axiū* abest vel recedit, eo lentius etiam soleat moveri, ita ut  
secundo denum Septenario terminetur, cum sub statu & in vigore primo  
Septenario, immo huius medio, tragoeiae scenam absolvat: quin &  
eo teritatis subinde ascendit, ut non pauci, tanquam sidere tacti, Apo-  
plecticorum instar concidant & moriantur. Plane vero accuratum & a  
nemine adhuc animadversum est, quod *Boetticherus* in Pele Haffniensi  
An. 1711. observavit, eam hora plerumque sexta vespertina cum horrore  
invassisce, & quod *Sennertus* & *Sorbaith* docent, contagium pestilentiale  
circa nonum plerumque & 14. diem moveri, quod confirmat etiam  
*Spindlerus de Peste Poson.* p. 68. qui de 14. in 14. diem in una saepe domo  
substissee contagium, postea inopinato eum, qui maxime sanus videba-  
tur, invassisce & iugulasse, comperit, quam etiam periodum in omnibus  
contagiosis se observasse *Kayerus in Schol.* p. 70. addit; quamvis nobis  
pestilentiale venenum reliquarum, ac Catarrhalium praecipue Febrium,  
miasmate aliquantum crassius & minus subtile videatur, cum observarum  
sit, id per menses, immo annos bene multos, innocuum in fomite quo-  
dam delituisse, vel etiam sine noxa circumlatum fuisse in vestimentis. Ad  
tempus motumque huius morbi pertinet, quod plerumque circa Novi-  
lunium & Plenilunium ferocior dicatur a quibusdam: circa Lunae de-  
crescentis quadraturam, ut *Gemma*, Luna in eum locum coeli ingressa,  
quod singulis mensibus sit, in quo erat *Saturnus* vel *Mars*, cum nascere-

ris,

ris, ut *Heurnius* referente *lonfano in Synt. Med. Pr.*, observant: & Boettich. advertit, ultra 300. mulieres abortum circa Novi & Plenilunium esse passas, decrescente Luna sexui sequiori Pestem stragem multo maiorem intulisse, & primis tribus mensibus, Iunio, Iulio & Augusto maximam demortuorum partem e sexu fuisse feminino: secundum *Quercetani* confessionem Luna decrescente senes & verulas, plethoricos & iuvenes circa Plenilunium interisse: secundum *Plempium* aërem magis levem, quam crassum & nebulosum ad Pestilentiam conferre, (unde status morbi Iulio & Augusto fit) tempore tamen tonitruali mitiorem factam fuisse Pestem, quod aëris humiditati, feritatem & acutiem morbos contagii obtundenti, tribuit; quam observationem etiam confirmat *Spindlerus*, qui tempore pluvioso, coelo nubilo & uido, bis mitiorem, truculentiorem algido coelo, & sicca atque frigida aëris constitutione existente vidit. Huic etiam constitit bis crescente Luna decrevisse, decrescente accrevisse, quamvis alias secus contingat.

Pesti proxima est Petechialis Febris, tanquam morbus & symptomata probe discernenda; ita enim non tantum in Pestentiali, sed & Catarrhalii, graviori praecipue Febre, petechias supervenire novum non est. Unde quidem maculas illas Veteribus non incognitas fuisse existimamus, in Peste nimurum, sed nec Catarrhales nostras, nec Petechiale stricte dictam, eos cognovisse credimus. Posset equidem videri, ac si a Catarriali Febre prolsus diversa non sit Petechialis, quam sententiam confirmare videtur *Stahl. Probl. p. 12. §. 23.24.* ubi Petechiales, ait, Febres nunquam observari, nisi ubi Pestis una grassetur, aut ubi Febres Catarrhales haec tenus dictae: & quo magis contagiosae evaserint hae Febres Catarrhales, seu Quotidianae Continuae Veterum, eo certius Petechias complicari. Cui accedit symptomatum similitudo, & veteris curae, per leniora cathartica & alterantia acida convenientia, communis item ortus; quamvis enim Peticularies Febres Ann. 1505. & 1528. Can antiquioribus temporibus fuerint cognitae, deo accuratum iudicium negativum *lonfoni* vid. *Synt. Med. Pr. L. II. Tit. 7. Cap. 2. Art. 3.* iam visae fuerint, quas descripsit *Fracastorius*, & morbus dein Hungaricus 1566. demum comparuerit, hinc vero Catarrhales praecipue regnarint, Epidemicarum tamen Constitutionum gnarus facile iudicaverit, communem hisce morbis ortum deberi, cum Petechiales primum, a subtiliore inflammatione pendentes, factos fuisse rationi consonum sit, quae dein impetu Constitutionis retuso, magis humorales factae sunt in Hungarico morbo, plus vero in Catarrhalibus nostris, in quibus strictissime dictis minus frequentes sunt petechiae, quam in graviore illo Hungarico morbo, cui in prin-

principio adeo familiares fuere ; ut pro pathognomonic signo habitae fuerint. Et suboluit iam hoc *Iordanus*, afferenti morbum hunc non esse toto genere diversum ab eo, quem Itali le *Petechie* dicant, ut hinc non defuerint. Viri docti, qui culpam universam & ortum, in contagium ab Italibz allatum, & nostris hominibus propagatum, contulerint, cum illis sit peculiaris & familiarior, his vero regionibus (*Hungariae videlicet & vicinis*) & Medicis prius non animadversus. Interea tamen & ipse *Stahl*, separat hafce Febres a se invicem, & suum cuique caput assignat, & videtur rem hanc id maxime dubiam facere, quod quantum ego scio, nemo in *Petechialibus Febris* mentionem fecerit exacerbarionum Quotidianarum vespertinarum, quam proinde rem & huius decisionem, tanquam a praxi pendentem, Practicis prudentioribus, quibus Petechiales obvenerint Febres, decidendam relinquimus, & simul ipsi commendamus, ut tum particularium insultuum, tum annuae etiam periodi tempus accurate consignare velint. Celeb. Vir *Bern. Ramazzinus* Febres suas Petechiales Ann. 1692. 93. 94. scribit vias quidem aliquando post multam editam strageni, receptu canere voluisse, sed postmodum, auctis veluti viribus, violentius irruisse ac populariter grassatas fuisse, unde conicere licet, non eodem tenore per omne anni tempus faeuuisse. Reliqua quae de iis consignavit ita se habent: circa Aequinoctium vernum An. 1692. hanc Febrrem primum caput exculisse, ac sub initio levii quadam velitatione discurrentem, mox per totum Veris tempus & partem Aestatis, usque ad Canis exortum sub peticulari larva faevitatem suam exercuisse: ubi Aestas incanduerit, Febrrem hanc purpuram depositisse, nec illam resumisse, donec calor aestivus coepiterit, nimis circa Arcturi exortum, quem morem annis quoque sequentibus rite servaverit, vestem quidem, sed mores ac genium haud quaquam mutantem, Febrrem enim quae in summo aestu sine peticulis vias effent, haud secus malignae fuisse indolis, quam vibices post mortem apparentes satis demonstrarint. Unde quidem constare posset, eandem cum Peste periodum servare Purpuratam Febrrem, ni mox observatio de Eclipsi lunari 21. Ianuar. facta continua quasi per omnem annum persuaderet. Illud etiam observatu dignum ex *Ramazzino* hoc referimus, quod post Plenilunium ac multo magis silente Luna ferocierit haec Febris, quae postea ad novum eiusdem lumen mitescuerit; & quod die 21. Ianuarii 1693. lunari Eclipsi contigente, maior pars aegrotantium interierit, eadem paene hora, qua Luna laborarit. Haec habet Doctiss. *Ramazzinus* de Constitutione ista, quae rurali Epidemiam Febrium Tertianarum exceperat, & quae Mutinenses magis, quam Rusticanam gentem, Tertiana quasi purgaram, affixerat.

Durationem

Durationem peticularum ad 3. 4. 5. dies, apparitionem autem 7. 9. interdum etiam serius fieri, nunquam utiliter citius scribit Stahl. *Probl.* p. 15. §. 28. 29. *Fracastorius* tamen & *Ramazzinus* 4. etiam innoxie in Italia erupisse observarunt, quibus vero maturius & primis diebus apparuerint, omnes interiisse. Unde quidem constare potest, critica apparitione eliminari aliquid ex sanguinis massa, quod praematuero ortu remanet & *S. M.* pessundat, tanto magis, cum *Ramazzino* observante, successiva ista apparitione & evanescentia morbus solvatur, quae quidem ita debeat succedere, ut de collo & dorso ad extremitates & pedum usque ungues procedant, alias enim si pectoris & dorsi fines non transfiliant aegros mori.

Videntur utique Pestis naturam in profunda & sordida putredine, non sine ratione posuisse *Fracastorius*, *Augenius*, *Minadous*, *Portus*, *Maf-sarias*, quos ex parte sequuntur *Rudins* & *Mindererus*; ubi tamen non intelligere debemus actualent illam, quae nec cum vita stare, nec emendari ullo modo potest, sed imminentem & potentialem, quando materia noxia, quae contagio suscipitur, ex sententia *Stahliana* eius est indolis & activae subtilitatis, ut sub pauca mole tam & citam putredinosam fermentationem inducere queat, ita ut hoc morbo perentis ea confestim, ne rigore quidem emortuali praegresso, spumida inflatione & fermentativa eruptione actu se prodat, immo in ipsis etiam partibus musculosis arctius collecta, similem effectum edat, Anthracem nempe former, seu tumorem in Gangraenam & Sphaelum, seu veram agilissimam & summe fermentativam putredinem praecipitem, qui deleterius effectus in Bubonibus minus expectandus, cum glandulae quas occupant, sanguine, putredinis subiecto, minus copiose interluantur. Quae materia noxia & venenosa cum ab omni alimentorum & excrementorum naturalium conditione & crasi aliena sit, iis etiam viis, quo haec solent, excerni nequit, ut neque cum bile & muco per fluorem alvi, nec per urinam & sudorem cum his abscedere possit, unde sub hoc statu, ubi nec materiae, quibus involvatur, nec viae & methodi solitae sufficiunt, laboriosa & insueta operosa molimina Naturae invenienda & accommodanda sunt, in quorum tam inventione, multam anxieratem, sollicitudinem & trepidationem, quam in prosecutione, multum tergiversationis, erroris & inconstantiae observari, mirum esse non debet. Quae proin vera ratio viderit acutiei & termini brevitatis in Peste, in Petechiali Febre huic proximae, primo videlicet Septenario, rarius secundo, pro emovenda nempe quantocuyus materia illa summe noxia & toti Oeconomiae animali penitus

nitus adversa. In quonam vero contrarietas illa consistat, irritum fuerit inquirere, cum nec crassiorum conspectui expositorum venenorum qualitates, tantum abest ut essentias, cognoscere valeamus; vid. Stahl. Theor. Med. Ver. Membri. Ult. de Vener.

Dysenteria etiam ex Inflammatoriis morbis non postrema est, ita ut Pestis instar plures saepe iuguler, & Auctumni proprie foboles est, quo, ut Hippocrates pridem monuit, acutissimi morbi solent contingere. Quamvis enim unum aut alterum sub Epidemica Constitutione verno tempore aliquando feriat, quod tum praecipue contigisse advertit Sydenhamius, quando aura calidior intemperatori gelu derepente soluto supervenerit, qui status aeris ad auctumnalem, ubi de die calor, noctu frigus viger, accedit, rurum tamen id est, nec consuetum Dysenteriae mortum interturbare potest. Observavit Sydenhamius initio plerumque Augusti Dysenteriam ingruere, & sub primam eius irruptionem symptomata omnia ferociora esse, (quod ipse principio Constitutionis magis spirituoso & subtili tribuit) appropinquante deinde hiemali frigore morbum fugari & Febrem dysentericam eius loco comparere: Epidemiam is advertit Ann. 1669. 70. 71. 72. & Sennertus in inferiori Germania 1564. 65. Retulit nobis Amicus Auctumno An. 1709. Dysenterias epidemice & satis atrociter grassatas fuisse in Wetteravia, cum tum, ex praegresso intensissimo & acerrimo frigore, perustis & deletis arboribus, nullus esset fructuum horaeorum proventus: Sic & Sennertus Pr. L. VI. Part. 2. Cap. 6. An. 1624. cum Ver esset calidum & siccum naturamque Aestatis aut potius Auctunni haberet, de die nempe calorem, noctu autem frigus, Epidemicam Veram Dysenteriam observavit, quae & infantes lacientes corripuit, cum tum pro anni tempore, nulli adhuc esse possent horae fructus, in quos alias culpa reiici solet. Solet Dysenteria atrocior primo, mitior & vulgaris secundo Septenario terminari: Hippocrates Praed. L. II. Cap. XXX. v. 12. ad diem 20. & 40. extendit; & omnino quo magis in longum protrahitur, eo minus habet periculi. Fluxus eius est continuus, referente tamen Sennerto de Dysent. Diomedes Cornarius periodice de tertio in tertium diem redeuntem vidit.

Verbo mentionem fecisse convenit, gravis illius affectus ex Continentibus Febribus quem a perpetua sudatione & loco, Sudorem Anglium dixer. In Anglia, ut Senn. habet de Febr. L. IV. Cap. 15. An. 1486. pri-  
mum coepit & 40. fere annos duravit, ut quamvis brumali frigore non-  
nihil intermitteret, postea tamen iterum reverteretur: inde ex Anglia per

inferiorem Germaniam, Belgium, Galliam, Daniam, Norvegiam ab An. 1525. usque ad 1530. disseminatum esse hoc malum, & Autumno potissimum saevisse refert *Sennertus*. *Ibid.* Acutissimae fuit periodi nam intra 24. horas, vel ad salutem, vel ad mortem terminabatur.

Hae sunt Primariae Febres, quarum aliae aliis frequentius observantur: rarae sunt Sanguineae Continentes, rariores etiam Tertia Contiuua, Quartana Intermittens, Petechiae & Pestis, frequentiores Intermittentes Tertiae, Continuae Quotidiane, Variolae & Morbilli. Id quod notabile, est quod Contagiolae illae, ubi aliquando ipsis irrumperet datum est, diuturnam absentiam atrocitate & frequentibus funeribus deinde compensare soleant. Quin omne hoc Primariarum genus in universum consideratum, si Epidemicam subinde Constitutionem excipias, Secundariis adhuc minus frequens est, unde quidem, cum in Primariis praecipue excepitis tamen & in his frequentissimis Colliquativis illis, Dysenteria & Catarhali Febri crises & ecclises observentur, in Secundariis autem eae rarius succedant, immo succedete non possint plerunque, nec debeant, cuius caussas vid. in *Stahl. Diff. de Acris. in Febr. ingens ille Recentiorum hominum error promanavit*, ac si in extrema hac mundi & Naturae humanae effeta senecta, vel sub frigido nostro & crasso magis quam Boeoto coelo, crises non amplius spectentur, (ut ne quidem graviores adhuc errores praticos, circa remediorum multitudinem, intempestivas commotiones, aut bonorum Naturae conatum suppressiones &c. Ipsi expobremus) cum tamen *Hippocrates* pridem edixerit in fine *L. de Praen.* omnia haec, quae de critico & praedictorio negotio litteris consignaverit, & in Libya, & Delo ac Scythia vera esse, singula tempe in suo genere.

Ut itaque Secundarias Febres brevibus recenteamus, superveniunt eae ex doctrina *Stahliana*, alteri cuidam affectus generi, & progressum atque successum habent fortuitum, pro complicati illius affectus indole, ut secundum proportionem receptivitatis alterius affectus, exitus certus vel incertus sit, licet generice utilitatis, immo quadantenus necessitatibus eiusdem rationem & efficaciam habeant, sed non ita simpliciter & absolute ut Primariae. Accident autem Secundariae Febres Inflammationibus & ulcerationibus, immo congestionibus & restagnacionibus eo spectantibus, Rheumatibus videlicet, Arthritidi & ipsi Podagrae formatae, nunc leviores, nunc acutiores: lentae in ulcerosis affectibus, acutae in Inflammatorii stasisibus. Rheumaticae & Ulcerosae Febres, cum nihil magnopere efficiant Ulcerolas potissimum, immo

nec

nec efficere possint, nullum etiam typum, & nec periodum quidem obtinent certam, actum nempe proportionatum ad materiam, vias & tempus: Inflammatoris autem stasis supervenientes, si non typum, periodum tamen magis exactam servare solent, in iis praelestum visceribus & locis, quae sanguini magis, quam aliis humoribus patent. Quando itaque stasis Inflammatoria fit, ad hanc dissolvendam Natura Febre utitur, quo per motum sanguinis celeriore & frequentiorem partes ita subsistentes, a transitu & appulso reliqui sanguinis auctiore & rigidiori, abstergantur atque abripantur. A quo copiose affluxu non solum partes nimium tenduntur, & sensibilitas maior, dolor nempe, assertur, sed & calore maiore & rubore afficiuntur; unde quidem non valde refert, an cum *Platero* halce Febres Comitatas appellare velimus, quae videlicet, si non ante, saltem cum dolore adveniant & inflammationem producant, quo etiam inclinare viderur *Sydenham*, cum nos abunde cognoscamus, stasin istam Inflammatoriam posse ante Febrem subsistere, licet deinde actualē inflammationem, Febre inchoata & vigente, praecipue fieri non negemus. Et probant hoc evidenter praecedentes caussae inflammatoryas stases provocantes; ut enim de violentis laesionibus nil dicamus, quid notius, quam a suscepito repentina frigore istiusmodi effectum subsequi, nulla adhuc tum Febre praefente, qua proinde caussa, ceu familiari & frequentius contingente, *Sydenham*, existimat plures periire, quam Peste, gladio atque fame simul omnibus.

Et de Pleuride, ut hanc primum nobis sumamus, satis notum est, quod tunc praecipue adoriatur, quando teporem humidum excipit inopinatum frigus, vel si frigori drepente tempestas calidior succedit, quod Vere praecipue contingere solet, unde hoc tempore, & ex observatione *Sydenhamii*, eo maxime, quod inter Ver & Aestatem ambigit, ingruit Pleuritis, licet & alio anni tempore aliquando compareat, & ideo Intercurrens morbus vocetur laudato Auctori. Absolvit periodum suam secundo Septenario, nonnunquam etiam, mitior videlicet, septimo die ad salutem, atrocior sexto vel ante ad mortem terminatur, & quo sputum maturius appetet (coctum intellige non crudum) eo citius morbus solvit, secundum *Aph. 12. Sect. I.* quod si intra 14. dies non repurgentur aegri, in Empyema res transit, ex *Aph. 8. Sect. V.* & qui Empyi facti sunt, si a ruptione Empyematis intra 40. dies repurgentur, liberantur, alias Phthisici sunt, secundum *Aph. 15. eiusdem Sect.* Ad quem locum docte nota *Hollerius*, quod tum a principio Pleuridis notare o-

porteat dies, 20. 30. 40. per quos soleat pus moveri, ita ut tum Febris recurrat & ruptio contingat, quae si intra 40. dies repurgetur, sanari aegros, alias ab hoc spatio pus corrumpi & ad macrocosmicam potestatem transire, seu veram putredinem concipere, quae exedat & destruat molles pulmones. Ceterum dolor in Pleuritide ad vesperam plerumque vehementior fit, ob transpirationem tum temporis aliquantum imminentiam, qua partes illae agiliores, putredinem promoventes, amandari alia, solitae retinentur. Id etiam notabile & ad prognosin exactam pertinet si in Pleuritide & aliis membranosis inflammationibus, dolore cessante Febris perseveret vel augeatur, cum pulsu parvo intermitte & frequenti, (quoniam in Gangraenam designat inflammatione) post 12. horas delitaturum & paullo post indubie moriturum aegrum, sicuti hoc ex Hippocrate annotat & sua experientia confirmat Baglivi. Pr. Med. L. I. bonum vero esse, si abdomen flatibus nunc intumescat, nunc detumescat, quod ut plurimum circa 10. morbi diem contingat. Epidemiae nonnunquam fiunt, & frequentiores observavit Sydenham. ante Pestis Londinensis Ann. 1665. 66. exortum, quam alio quounque tempore.

Peripneumonia Pleuritidi cognata est, & eodem tempore ortitur, eandemque servare solet periodum, acutiem tamen. Observat Baglius, si Febris, tussis & reliqua symptomata exacerbentur 5. die, quo maior sit exacerbatio eo mortem certiore die 7. futuram. Epidemiam Ann. 1564. 65. inferiori Germaniae notat Dodon, in Obs. & ex hoc Senn. Prax. Med. L. II. P. 2. Cap. 3. Cognatum ortu cauissime malum est Angina, eodem enim, quo Pleuritis, tempore frequentius invadit, Sydenhamii observatione, quamvis etiam quolibet anni tempore nonnunquam ingruat. Hippocrates pluvias & affidios imbres accusat Aph. 16. Sect. III. Dicit vero solutione, quam critice, ut Pleuritis, non adeo affectat, & morbi acutie; cum enim ne via spiritui preecludatur, metus sit, brevia aliquot diecum, immo horarum, si id actu contingat, tempore iugulare potest. Huc spectat Aph. 10. Sect. V. Epidemias quandoque fit, qualem inferiori Germaniae & Rheni accolis Ann. 1517. & 1544. 45. fuisse notat Forestus.

Peripneumonia nota Sydenhamii Hieme ingruente, at saepius sub eius exitum, Vere adhuc nascente emergit. In qua, cum ex Sydenhamii sententia sanguis phlegmate visculo oneretur, Febris mitior est, lentius procedit morbus & a critica evacuatione longius absit.

Phrenitidem Symptoma Febrium Acutarum esse, notum: quod si tamen primarius aliquando morbus sit, (sicuti Hippocrat. Epid. L. III. Sect.

*Sect. III. aegrotum quartum phreniticum, & L. III. de Morb. C. I. affectum hunc ex professo quasi describit, & Pr. Alpinus in Aegypto Phrenitidem familiarem asserit, quamvis tum Febrem potius successe, quam praegressam fuisse, dubium esse non debeat ) aut vulneribus superveniat, acutissimus ubique affectus est, ita ut primo Septenatio plerumque occidat, secundum Eund. L. de Morb. C. I. v. 17. Huc pertinet Aph. 15. Sect. VII. Jonstonus Febrem inflammationi membranarum cerebri coniunctam de 3. in tertium moveri scribit.*

Per siccitates Ophthalmiam fieri dixit Hippocrates Aph. 16. *Sect. III. & Galeno II. de Diff. Febr. C. II.* quaedam est periodica, intervallisque quibusdam temporum rediens, de qua notabilis sane est observatio *Fontani apud Dodon. in Pr. Med.* quod iis, quibus oculi sint magni, frequentius contingant Ophthalmiae, & quidem in pueritia, non alia de causa, quam quod huic aetati moros humorum siant ad caput, & ad oculos praesertim, si magni sint & viis latioribus hinc praediti, stagnationibusq; ideo magis expositi: notat etiam *Fontanus Ibid.* Vere magis, quam alio tempore contingere Ophthalmias, & Galenus quandam Ophthalmiam contagiosam esse advertit, *de Differ. Febr. C. 2.* Et sane iam vulgari fere observatione constat, eos qui Ophthalmiae frequentius sunt subiecti, ex loco obtutu similem facile labem suscipere.

Ad Secundarias eriam Febres in *Diff. de his refert Stahl Choleram*, a saburra biliose crassiore & hinc produeta inflammatione & febre, & Febres *καυωδειας* nomine notas, a tenuiore biliose substantia, *Hippocrati* & Posteris biliose dicta, ad extima corporis sub forma Erysipelatis eiicenda, quibus Febris cum nullum tempus certum statui queat, apparet, nec Choleram *Sydenhami*, Augusti limitibus circumscriptam, nec *καυων Hippocrati* proprie dictum a *Stahlio* intelligi.

Nephritidem quoque Secundariam Febrem coniunctam habere, vel ideo incognitum esse nequit, quod cum peculiari directione & motu versus renes Paroxysmi nephritici suscipiantur: refert *Jonstonus de Ren. Inflam.* Febrem esse inordinatam, quae modo crescat, modo immuniatur, circa noctem autem magis exasperetur. *Idem Jonstonus* mensesenterii inflammationi Febrem lentam, plerumque Semitertianam tribuit, hepatis, Febrem (cuius vehementia inflammationis magnitudinem sequatur) noctu exacerbari, lenis Continuae Quartanae periodum servare: vesicae inflammationem (a calculo, vulneribus, &c.) periculisissimam & plerumque circa septimum lethalem esse *Sennertus* prouin-

tat, *Stahl* in genere Inflammationibus partium abdomini inclusarum, praecipue non valde exquisiti sensus, typum fere Tertianarium tribuit, de Lochialibus, Lacteis & Erysipelaceis Febris ita statuit, *Probl.* p. 16. motus potius febribus, quam ulla modo typicalas seu completas Febres esse, *Lochiales* tamen facilius in veram Febrem exardescere. Cum enim eo tempore uteri vasa sanguine admodum distenta sint, si horum deplectioni & successivae evacuationi a frigore externo, vel paroxysmo hysterico remora iniiciatur, quin sub isto statu ingens tumultus, & tandem putredinosus motus, ipsaque Gangraena & Sphacelus succedere debeant, dubium esse nequit, quas proinde ingentes laesiones praevertendi, amoliendi & emovendi, Natura Febrem concitat, licet ob magnitudinem inflammationis impari plane successu, unde quidem sub isto statu anxietates insignes vigent, animi deliquia & oculorum perturbatio, ob desperationem restitutionis Oeconomiae animalis, succedunt, sub ipsa vero Febre repetita molimina & tonicae directiones uterum versus, per frequentes illos horrores, vespertino praecipue tempore, celebrantur. *Lactea* Febris a partus die 3. aut 4. fluentibus rite lochiis, supervenit, & intra triduum vel quadriduum, nempe circa 9. sudore finitur.

Hae quidem sunt Inflammationes internae & Febres inde pendentes: externe Inflammationi sanguineae & apostematodi absolvendae dies tribuit 4. aut ad summum 8. *Stahl. Theor. Med.* p. 1268. in *Diss.* vero de *Absc.* & *Furunc.* circa 4. 5. 6. 7. aut ultra, si profundius haeret, maturari dicit: *Sylvius* circa diem 3. sanguinem in pus mutari scribit: ad 14. vero *Sennertus* prorogat hunc terminum *Pr. M. L. V. P. I. Cap. 5.* & in figuramentis, tendinibus ac nervis ad 40. extendit: Furunculum die 8. 9. vel 10. ad statum pervenire idem tradit *P. I. Cap. 8. Stahl.* autem in *Dissert.* citata p. 18. longius tempus, duplex nempe ad Apostema, requirit in Furunculo, propterea quod hic materia non dispersa in poros, sed collecta & detenta sit in peculiari tubulo seu vasculo, cui dissolvendae copiosior affluxus sanguinis minus possit contingere. Principium horum Tumorum statuunt *Auctores*, quando humores influunt vel detinentur in parte, incrementum, ubi in tumorem attollitur pars, & dolor, calor a tensio accedunt, si haec omnia summa sint, declinationem, si remittant & pus compareat. *Hippocrates de Morb. L. IV. C. XXII. v. 1.* Ulcera maxime diebus imparibus inflammari docet, & v. 15. liberari Ulcera ab inflammatione 5. die, & iuxtra horum dierum rationem, prout etiam Ulcera fuerint magna, & tertia & 5. & 7. & 9. & 11. Maxima vero Ulcera die 14. ab inflammatione liberari: & *L. de Aetat. C. XXIII. v.*

8. 9.

8. 9. 10. 11. 12. afferit, Ulcera magna in capite & reliquo corpore 4. die inflammari, in 7. autem inflammationem sedari, aut etiam in 14. aut 18. &c. si quis diligenter medeat, & Ulcera in capite magna in hoc tempore non sedentur, homines mori. Ubi constare deber, licet Hippocrates vocabulum ἔλευ adhibeat, & hoc communiter pro Ulcere vertatur, ex sensu tamen textus, longe aliud Ulcus, quod multum absit ab Ulceris stricte dicti tarditate, designati: usurpari nempe hanc vocem generalius pro Vulnero, immo pro quacunque laesione, sicuti id inde etiam constare potest, quod palsum morbum omnem Ulcus esse dixit; vid. Foësi Oec. Hipp.

Supervenient Vulneribus Febres, sub circumstantiis a Stahllo Probl. p.<sup>1</sup>  
 15. 16. recensitis, quae secundum Hippocratem periculi plena sunt, &  
 Hollero annotante, non statim, sed 4. 7. 9. 11. 14. solent accedere, &  
 quae 4. accidunt, ex Hippocratis porro observatione plerumque circa 11.,  
 quae 7., ad 14. aut 17., si vero 11. incepint, ad 20. iudicantur; vid. Hippocr.  
 Praed. L. II. C. XXII. XXIII. Multo autem acutiores & lethaliores sunt  
 Febres animalium venenatorum morsibus succedentes; ita enim Aspidis  
 venenum celerrimae activitatis est, ut Galeno docente hirundinaceus A-  
 spis statim, terrestris trium aut 4. horarum spatio, Ptyas paullo tardius  
 interimat: Natrix, Cephris, Vipera, Scorpions lethalem intra 1. tresve  
 dies plagam inferunt: de Sepedonis veneno testantur Auctores, quod  
 intra 3; vel 4. dies penitissima putredine corpus destruat: Ceraspes vene-  
 num etiam maxime lethale infligit, ita tamen ut ad 9. usque diem non  
 nunquam laesi vitam protrahant. Minus periculosus, at magis mirabilis  
 est Tarantulae morsus, quo semel icti, non tantum Homines, sed &  
 Animalia bruta, (quod fide digni aliquot Auctores referunt) ad certos  
 rhythmos quotannis per omnem fere vitam saltant & tripudia agunt,  
 unde sanitatem recuperant roties, quoties appropriatae melodiae ipsis oc-  
 cinuntur. In Apulia, regionis Italiae fertilissimae, campis venenifera  
 tantum est Tarantula, nec quovis tempore, sed Aestate, urente pae-  
 stim Canicula, mesillis tempore. Paucis a morsu horis iis Symptomatibus,  
 quae Bagliv. Diff. de Tarant. C. VI. & VII. recenset, corripuntur: quae  
 quotannis circa ictus tempus repullulantia musicae appropriatae sono de-  
 liniuntur. Cum enim venenum hoc phantasiam praecipue afficiat, quae  
 a temperamento varie determinatur, non quaelibet modulamina, sed  
 convenientia & appropriata, nunc iucunda, nunc tristia, aut alio modo  
 pro animi moribus congrue instituta, & saltatione ad sudoris usque per  
 12. fere horas eruptionem expleta, iuvant. Atque has saltationes ad 3. &  
 4. diem

4. diem repetunt, & inde pristina sanitatis commoda recuperant. Re-  
liqua de Tarantulae, ad saltus pronae natura, de diversitate & differen-  
tia instrumentorum musicorum, valde curiosa hic omitimus, & ad ea  
cognoscenda lectorem ad *avtorum Georg. Bagliv. Diff. de Tarant.* curiosissi-  
mam ablegamus. Restat Canis rabidi morsus, ubi quidem non statim,  
sed post aliquot tempus melancholica & hydrophobia symptomata comparere solent: *Sydenhamius* ea post 40. dies, aut plures supervenire dicit: *Sennertus* raro ante 20. interdum post 30. diem, in multis non nisi  
post 4. 6. aut 8. menses, ut *Fracastorius* adverterit, prodire scribit: im-  
mo *Alb. Magnus* post annum 7. & *Hildanus* post 30. fere annorum spa-  
tia, singulo septennio veneni recrudescientiam observarunt. Terminatur  
alias Rabies haec brevi temporis spatio, & *Galenii* observatione aegri raro  
4. die superfunt, si computur facieas ab eo tempore, quo aquae metus  
accessit.

Lentiores Secundarias Febres exhibent Rheumatismus & Podagra. Cum enim molimina excretoria hic intendantur per spasmos, eosque incompletos, fibrillares, & locis praeterea incongruis, in horum locum utcumque substituit Natura febrem incalescentiam, qua abundantiam sanguinis, eiusdem in serum resolutione aliquali, per transpirationem & sudorem imminuit quadantenus, unde *Sydenhamius* advertente in fine p-  
roxysmorum particularium Podagrae, aeger leni madore perfunditur &  
dolore graviore ad tempus liberatur. Quousque duret Rheumatismus  
ex proprio morbi genio, de eo accuratior huius morbi obseruator *Sy-  
denham.* mentionem non facit, alias nullo non tempore eum invadere  
scribit, maxime vero auctumnali, postquam exercitio vehementiori aut  
alio modo excalefactus aeger mox repentinum frigus admisit. Ipsam vero  
Podagram quod attinet, accurate ea, si quisquam aliis morbus, de-  
scripta est a toties laudato Auctore. Nimirum exeunte Ianuario, aut in-  
cipiente Februario, quoties regularis est, Podagra ingruit, est vero nec  
apud senes, nec apud iuniores tam regularis, quam qui media aetate  
sunt: Vere & Auctumno Podagricos dolores moveri afferuit *Hippocra-  
tes Aph. 55. Sect. VI.* cui addit *Aurelianu in Chronic.* Hiemem & Aestatem;  
quod non repugnat *Sydenhamii* observationi, cum in senibus &  
iunioribus, prioribus maxime insultibus, non adeo statas servet periodos,  
sed quovis tempore, ansa data, oriri queat, regularis autem, quae  
iam ordinem typumque sibi formavit, Februario praecipue, Epochamor-  
borum vernalium, ingruat. Hora secunda post medianam noctem inva-  
dit

dit dolor pollicem alterutrius pedis, & tensim increbescens nycthemeri spat-  
tio finitur, aut levius saltem, ad unum alterumve diem, si materia copio-  
sior fuerit, affligit: inde, intra paucos nempe dies, alter pes eodem dolore corripitur, eadem vehementia & duratione. Qui abhinc sequuntur paroxysmi abnormes sunt, tum invasione, tum duratione, id tamen ubique fervant, quod noctucum rigore aliquali ingravescant, mane vero remit-  
tant. Ex hisce particularibus paroxysmis, constat Podagrae paroxysmus diurnior, qui in iunioribus & vegetoribus diebus saepe 14., in senioribus & quos laepius afflxit, 2. mensibus, in debilitatis & fractis, non nisi adulta Aestate terminatur: utrobique dolores respondent motui & tempori, ita ut in iunioribus atrocitas & vehementia brevitate compensetur, cum in senioribus, quos longius & mitius affligit, quod celeritate & motu vegetiore nequit, diurnitate & longitudine supplendum sit: *Hippocrates Aph. 49. S. VI. dies 40. statuit.*

Lentissima omnium Secundariarum, sed magis continua (quamvis omnes Secundariae Continuis magis, quam Intermittentibus accedant) est Heptica Febris, pedissequa ulcerationum in variis visceribus, praecipue pulmonibus. Cum enim ex doctrina Stahlii, periculum sit Inflammatoriae putredinosa corruptionis, licet non tantae, ac si sanguis ipse putredinoso motui proximus esset, cum hic vitium haereat in parte solida cum manatione sero-salva, penitiori & celeri corruptioni minus exposita, proin perpetua quidem & vigili circumspetione eget, & continua vegetior languinis agitatio fit, sed lenta tamen & conditioni materiae proportionata, licet ea nihil omnino efficiat in corrigenda ulcerosa constitutione, in quam, qua talem, nullum omnino Febris ius est. Serosa Phthisis ingruente frigida tempestate circa hiemale Solstitium oritur, & ni Catarrhus secundum Hipp. Aph. 38. Sect. VII. intra 20. dies ad suppurationem vel coctionem perveniat, exeditur pulmo & lethalia ulcera contrahit, quae Aestate in sequente ut plurimum mortem adferunt: Sanguinea initio Aestatis iuvenes praecipue aggreditur. Alia Tabis species Febribus & morbis Inflammatoris supervenit, Alia etiam a copiosioribus & frequentioribus evacuationibus ortum habet, quae duae posteriores species nullo non tempore oboriri possunt. His familiaris praecipue est, intensio caloris post pastum: primae speciei Febris quotidie exacerbatur circa vesperam, sub auroram vero sudore copioso & vires imminente solvitur; vid. Sydenb. Oper. Edit. Genev. Non absimilis est Febris, quae in Chlorosi observatur, de qua nihil adeo memorabile notandum est, nisi

H quod

quod in ea menstrui praecipue circuitus considerandi , & medicationes secundum eos instituenda videantur.

Absolvimus nunc Acutos morbos , & Chronicorum etiam , Lentorum Secundariarum Febrium occasione , initium fecimus , Reliqui ex Chronicis , qui censum nostrum hic subeant , Febribus Secundariis carent & pauci numero sunt : Scabies nempe , Lepra & Venerea Lues . Scabies Hieme luxuriare , Aestate vero evanescere solet , & congruit ideo cum aliis Chronicis affectibus , quos , si Hieme augescant , Aestate desinere observavit *Hippocr. de Nat. Hum.* Serofirates enim istae falsae , quae minus libere transpirantes a frigore hiemali in cure cumulantur , aetivo calore expeditius divaporare possunt . Lepra Latinorum & Arabum , seu Elephantiasis Graecorum , foetus & contagiosus quondam morbus fuit , ita ut huius gratia peculiaria Collegia & examina fuerint instituta , ( vid. Gr. Horst. de Morb. Cont. & Malign.) quibus , qui deprehendebantur Sontici , a consuetudine reliquorum hominum arcebantur , quam ob rem extra portas urbium peculiares domus & nosocomia struxa fuere , quae nunc a semiteculi , & quod excurrit , spatio , cum morbus iste Divina gratia ceciderit , passim collapsa observantur . Enim vero huius loco non minus foeda viger adhuc Venerea Lues , orta primum in Hispaniis Ann. 1493 , quo eam ex America reduces transvexerant , quanvis prudentiores non ab Americanis , sed Nigrorum illa in Africa milera gente , quae Tropicis includitur , & quotannis magno hinc numero in Indias occidentales , ab Hispanis coempta , ad opera servilia transfertur , primum contractam sulpicentur ; vid. Sydenb. de Lue Ven. Ex Hispania porro in Italiam Luem transtulere Hispani , & cum An. 1494 . Galliarum Regis Caroli VIII. copiae ad Neapolin ad Hispanis meretricibus infectae essent , malum inde in omnes orbis Europaei partes disseminatum fuit . Nunc eius pervicaciam quidem nondum interiit , ita ut per 30. & plures annos in corpore latere possit , saevitia tamen tanta non est , ac fuit sub primo ipsis exortu , ut nos propterea spem possimus concipere , fore , ut aliquando in totum definat .

## CAPVT TERTIVM.

De

### *Morbis Aetatum.*

**A**rgumentum hoc tractavit *Magnus Hippocrates* , & post eum , si morbos Itantum excipias , ad haec usque tempora nemo , praeter Insignissimum

signissimum illum Germaniae Medicum, Georg. Ernest. Stahl, cuius pa-  
ce potiora eius, hic nostra facere, & cum Hippocratica doctrina, quod  
nondum factum, coniungere liceat. Homo utique non secus ac cetera,  
non tantum Animantia, sed & Plantae, cum reliquis omnibus, quae be-  
nigna mater Terra profert, statos ortus, incrementi, vigoris & decli-  
nationis terminos obtinet. Fit id exquisita plane periodo & determina-  
ta mensura temporis, non tantum in statu morboſo, quem praeter na-  
turalem vocant, ut superius recensuimus, sed fano etiam & naturali: utro-  
bique Septenari potissimum. Vita hominis 7. dierum est: ita orditur  
*Hippocrates L. de Aetat.* ex cuius sequentibus facile constare poterit, in-  
telligi hic praeципue primam in utero formationem, quam 7. diebus,  
quoad sensibiliores partes fieri afferit *Ibidem*, & simul docet quanam id ra-  
tione deprehendi queat. (Ubi non moratur nos illa Recentium ignara  
assertio, de praeformatione fetus in ovulo, & in hoc aliorum &c. ante  
congressum.) Pergit *Hippocrates* & in sequenti *C. XXI. v. 12. 13.* ab ipsa vi-  
ta proprie dicta argumentum sumit, quando plerique inedia 7. dierum  
morianuntur: porro Septimestri partu natos vivere dicit *C. XXII. v. 1. 2. 3.*,  
idque le freuenter vidisse *C. XXIV. v. 2.* Octimestres autem non *C. XXII.*  
*v. 4.* Novem vero mensium & decem dierum partus fieri, & vivere, &  
habere ad hebdomadas numerum exactum *v. 5.*, Pueros 7. annis praes-  
teritis dentes completere, *C. XXIV. v. 5.* septem esse Aetates secundum *Frag.*  
*de Aetat.* & *de Princ. aut Carnib.* *C. XIII. v. 12. 13. 14.* & *C. XIV.*, Infan-  
tis, Pueri, Adolescentis, Iuvenis, Viri, Seniotis, Senis: Infantem ad  
7. annos, dentium nimirum amissionem: Puerum ad bis 7., geniturae  
ortum, & dentium restaurationem: Adolescentem ad ter 7., barbae  
lanugininem: Iuvenem ad quater 7. usq; ad auctionem totius corporis: Virum  
ad septies 7. seu usque ad 49., Seniorem ad septies 8. seu 50., deinceps vero  
Senem esse. Quae reperit & explicat *Stahlius in Propempt. Inang. de Ste-*  
*ril. Fem. per Aetat.* ita ut 7. mensibus absolutam esse formationem fetus  
doceat, nempe efformatas tunc esse omnes partes corporis, ut existant,  
quamvis ut subsistant & firmius durent, duobus sequentibus mensibus  
firmior structura subsequatur: intra primum Septenarium dentes nasci:  
(quod in *Prop. Inang. Quis Bon. Theor.* specialius ad primi Septenarii di-  
midium determinat, a Sennerto vero de *Morb. Inf. Hollerio & Aliis spe-*  
*cialissime incisores circa initium septimi mensis provenire scribuntur*, quos  
aliquo temporis intervallo, 9. 10. aut 12. mense, secundum *Hollerium*,  
sequuntur canini, & tandem molares, anteriores secundo aut tertio an-

no, posteriores, sapientiae dicti, anno 7. aliquando 14. aliquando etiam 20. secundum *Hollerium*, ad quartum usque Septenarium secund. *Hippocratem*) septimo anno rursus cadere & novos subnasci: bis septimo incipere aptitudinem ad generandum: quinto & vigesimo, qui respondeat mediari 7. Septenariorum, desinere hominem notabiliter in longitudinem succrelcere, pergere vero in latitudinem seu crassitatem, praefertim vero ossium, ad 49. usque, quo tempore praeterlapsa constat corpus, & pereat in feminis concipiendi energia. Nobis vero placet Puberatatem masculorum paullo longius, ad tertium usque Septenarium, & huius ultimi praecipue dimidium, quo ea perfecta observatur, extendere, qui terminus etiam magis respondet potentiae huic ultra 49. annum duranti, cum hoc aptitudo seminarum concipiendi desinat, & maturiori ortui revera congruat. Sicuti etiam augmentatio illa corporis aequa, ac ossium in latum minus nobis probatur, cum appositio non stricte fiat carnis & osseae substantiae, sed pinguedinis potius; osa vero diutina istiusmodi extensione in latum nec egeant, nec ad eam subeundam satis apta videantur; quo ipse etiam inclinat *Stabl. de Morb. Aet. Diff. C. I. p. 3.* ubi Adolescentes ad tertium cum dimidio Septenarium adolescere, seu in longum & latum non amplius crescere dicit, pinguescere enim, neque ordinarium quiddam esse, neque ad partum ordinarium censum spectare diffusam pinguedinem.

Naturarum aliae quidem ad Aestatem, aliae ad Hiemem bene vel male se habent: Vere quidem & ineunte Aestate Pueri, & his Aestate proximi optimo sane sunt loco, valentque optime, Aestate vero & Autumno aliquantis per Senes, quod reliquam autem est Autumni & Hiemis, qui sunt Aestate medii; effata sunt *Hippocratis Aph. 2. & 18. S. III.* Videretur nobis idem *L. I. de Diabet. C. XXIV. v. 17. & seqq.* describere temperamentum Cholerico-phlegmaticum, atque huius habitum ad Aestatem notabiliter designat eodem loco, dum hos sanos esse omni tempore asseverat ad 40. usque annum, aliquos vero etiam ad senectutem, qui vero a 40. anno morbo aliquo correpti fuerint, eos nunquam fere evadere; Chronicos intellige morbos, Acutorum enim, Contagiosorum praecipue, alia est ratio: *C. XXV. v. 1. ad 10. Cholerico-melancholicos profert, quibus fortia & robusta corpora tribuit, sed in excessus utrinque proclivia, ideoque probe custodienda seu in eodem tenore conservanda monet: v. 10. ad 20. Phlegmaticos depingit, quos Hieme morbosiores, quam in Aestate, in Vere, quam in Autumno pronuntiat; hos Pueros sanissimos esse, deinde Adolescentes, morbosissimos autem Senes, & his vicinos; cito eos senescere, conferre ipsis calefacientia & siccantia*

cantia, exercitia magis externa, quam interna: v. 20. ad finem Cap. San-  
guineos designat, qui Vere magis quam in Autumno aegrotent; cito eos  
augescere, morbosissimos esse iuniores & Catarrhis obnoxios; siccantia  
& frigefacientia iis conferre, labores vero intra corpus: C. XXVI. Chole-  
ricos eminenter tales describit, qui in Aestate vigente, ad carnis bonum ha-  
bitum, morbosissimi sunt, sanissimi autem senes; conferre refrigerentia  
& humectantia, labores minus fortes, & horum Naturam vivacissimam  
ac sanissimam esse: C. XXVII. Melancholicos delineat, quos morbosos  
dicit in Autumno, sanos vero Vere & vicinis temporibus; Aestates ad 40.  
annos morbosas esse, Pueros vero sanissimos; conferre calefacentia & hu-  
mectantia, labores sensim adhibitos, leniter calefacientes. Rudimenta haec  
sunt doctrinae de Temperamentis, a Galeno dein amplissime promota ad  
Animi habitum usque, nostro vero tempore ad summum fere culmen  
evectae a toties laudato & nunquam satis laudando Stahlio; quae ita referre  
ideo necessarium fuit, quod & ad rem nostram pertineant, & quod Tem-  
peramentorum habitus ad Aetatem & morbos nondum satis condigne  
aestimatus videatur, quam proinde rem tanquam usum Temperamentorum  
maximum, & pro ratione morborum Aetatum reddenda plurimum adhuc  
inservientem, lagacionum pensitationi & experientiae, Hippocratico exem-  
pto, optime commendamus; nos ad reliqua *Hippocratis* pergitimus.

Aetatum hi fere morbi sunt: in Puerulis & nuper in lucem editis Aph-  
thae, Vomitiones, Tusses, Vigiliae, Pavores, umbilici Inflammationes,  
aurium Humiditates; Aph. est 24. S. III. adiicit his L. de Morb. Sacr. Ulcera  
circa faciem & caput, & salivationes, & non tantum adiicit, sed & docet,  
si haec accident, salubrius postea vivere. Cum enim plerique Puerorum  
morbi a voracitate (quam ipsis lactis dulcedo, nurricum indulgentia &  
satagens pulium intrusio primum conciliant) & lactis in primis viis corru-  
ptela orientur, ni colluvies ista vomitione, quam qui frequentius experiuntur  
habitiores & vivaciores (sub vegetiore Naturae impulso) vulgo observan-  
tur, reiciatur, alias sibi vias querit, per caput praecipue, testante experientia;  
cuius quidem probabilissimam rationem credimus, quod huic aetati id  
praeter proportionem magnum sit, adeoque receptioni, collectioni, restau-  
rationi, regurgitationi, & ob mollitatem transudationi humorum ex-  
positum, magnum vero necessario esse debuerit, tum ut viam faciat in  
partu, tum praecipue, quod ossa capitis, & p[ro]ae aliis durissimum illud  
petrosum cum conclusis, dilatationi & extensioni minus pareant, ipsum  
etiam cranium, pro continendo cerebro (parte corporis primaria & no-  
bilissima,

bilissima, ceu quae instrumentum est, per quod motus omnes virales instituuntur, atq; ideo prima formatione, eximia magnitudine & fere perfectum obseruatur) parvum & angustum nullo modo esse potuerit. Quibus *Stahl.* addit pilorum nativitatem & dentitionis molimina, *Diss. de Morb. Aet. Fund. C. II. pag. 7., & C. V. p. 21.* superadiicit tegmina capitis leviora, frigoris admissiones frequentes, unde strictriae cutaneae, quin & frigoris effectus in humores gelatinos lymphales, qui hac aetate praecipue abundant, contingent, horum nempe condensatio & mucositas, quae in statu & inde in corruptionem tendat, adeoque Catarrhales & denique frequentissimos ulcerosos affectus, Achores & Tineam producat. Denique non praetermittenda nobis videtur solemnis illa & universalis prope cura, qua recens nati Infantes fasciis arte satis constringuntur, quibus non tam uberior influxus sanguinis in partes & habitum externum compressum abaretur, quam potius manifesto ad partes liberas, caput nempe, reprimitur. Verum praeter familiariores affectus capitis, alii etiam circa primas vias observantur, & prima quidem omnium est umbilici Inflammatio, si quando funiculi huius ligatura fortior sit, aut sanguis ultra ligaturam, (cum communiter portio aliqua relinquatur) non fuerit expulsus, quo dein putrescente Vernis umbilicalis porest gigni, de quo vid. *Sennert. Plater. Reusnerus, Velschins, Hec. II. Obs. M. 66. p. 38. Eph. Germ. Dec. III. A. 7. & 8. Obs. 150.* Dein Pavores, Vigiliae & Tusses succidunt, si meconium, quod commodissime fit per colostrum, non fuerit expurgatum, aut lac progressu temporis accescat, & causticam cum bile acrimoniam acquirat, unde Tormina, hypochondriorum Inflatio, & Diarrhoeae aeruginosae procedunt. Hydrocephalum his addimus, qui non ut priores ab interna, sed potius externa tantum causa oriri solet. Obruit plerunque recens natos, & ex observatione *Stahl.* partus angusti & segnis vito fit, quando constrictae diutius fuere jugulares venae, cui concurrevit mollities crani & cutis capitis.

Iam vero, pergit *Hippocrates Aph. 25.* cum dentire cooperint, gingivarum Pruritus, Febres, Convulsiones, Diarrhoeae, maxime cum edunt caninos dentes, iis praesertim Pueris qui crassissimi sunt, & alvos durae habent, accident. Incisores dentes circa 7. aut 9. caninos 9. 10. aut 12. (quin & 15. & 17. mente, a quo tempore nunc anticipante, nunc postponente, de futura Aerato primum licet sumere indicium) erumpere notant Scriptores Medici. Estque porro, secundum *Harrisium*, duplex hoc dentitionis tempus, primum, quo dens osse maxillari primo emergere

emergere nititur, & quo gingivae pars extera & superior, absque aliquo  
 eiusdem tumore albido, quodam circulo utplarimum circumscribi so-  
 let: alterum, quo dens mole iam auctior, gingivam tumidam  
 reddit, eam pertrumpere nititur & inflammationem insignem in  
 eadem parit; quo praecipue tempore symptomata, qualia *Hippocrates* re-  
 censet, superveniunt, immo, ut & ea facilior sit, (quod ex *Hippoer. L. de*  
*Dentit.* observatione, Hic me magis, quam Aestate sit) salivatio & Diarrhoea,  
 quam, ut *Baglivius* observat, genuum intumescentia praecedit, plerum-  
 que coniunguntur. Sicuti autem Salivationis ratio, ob Inflammatio-  
 nem & affluxum copiosorem, satis patet, ita non aequa de genuum intu-  
 mescientia & Diarrhoea satis clara res est; licet enim dici queat, hanc a  
 saliva, quam expuere nescii sunt Infantes, depluente excitari, Diarrhoea  
 tamen non nisi vulgaris producetur, quae ab hac, in qua viridia excer-  
 nuntur, multum differt, ni quidem gingivarum Inflammationem ob  
 membranae continuitatem, ventriculo & intestinis communicari, & in-  
 de etiam Febrem provenire existimemus, in difficiliiori potissimum den-  
 titione, ubi si perruptio non detur, fortis ille extrusorius conatus in ner-  
 vosum omne sistema continuatur, ut motus convulsivi, tam in externis,  
 quam in internis partibus excitentur, quibus effusiones illae biliosae, cum  
 chylo acescente porraceum viorem induentes, concitentur. Unde quidem  
 Diarrhoea illa noxia minus est, quam *siccavulvus*, qua corruptelae intus  
 decinentur, & maiores convulsiones inferuntur. Accidere haec asserit  
*Hippocrates* praecipue, cum canini dentes erumpere volunt, qui cum a-  
 cutiores & angustiores incisoribus sint, faciliter erupturi videri possent.  
 Enim vero cum incisores primi compareant, quorum perruptionem,  
 attritiones & morsus facilitant, videntur ideo reliquis obstarre, cum his  
 regminis loco sint, & gingivas ab attritione & attenuatione defendant,  
 ut acumen in crassiore membranam tum penetrans non memoremus.  
 His itaque Inflammatoriis doloribus & inflationibus circa caput, praedisponuntur partes tenellae, ad suscipendas posthac sanguineas stases,  
 (ipsae enim perruptiones tum non aequa observantur) maxime si enor-  
 mes ploratus & eiulatus accedant, quibus tanto maior constrictio & de-  
 tentio, teste tunc rubore faciei, circa caput infertur. Quin & veltigia  
 hinc legere videtur Epilepsia Grandiorum; licet enim dari possit Epilepsia  
 in Adultioribus, qui nunquam in Infantili Aetate, convulsionibus corre-  
 pri fuerint, sicut hoc innuere videtur *Aph. 7. S. V.* (quamvis de solutione  
 tantum Epilepsiae hic agatur, quae ante Pubertatem, & quae circa 25.

aetatis,

aetatis annum invasit,) digna tamen haec res esset, in quam accuratius inquiratur, an videlicet istiusmodi homines, qui serius Epilepsia corripuntur, nunquam in Infancia convolutionibus fuerint tentati? Cui faver ipsa Hippocratis de Morb. Sacr. C. XIII. assertio: post 20. annos non amplius hunc morbum corripere, praeterquam paucos aut nullum, nisi ex pueri connutritus fuerit. Natura sane, quos ante hac peregit motus, facile repertit, & vocat alias Epilepsiam passim Hippocrates τῶν παιδίων γένος, quae solvatur aetatis, loci & vietus mutatione, secundum Aph. 45. Sect. II. hac enim ratione solvi eam posse circa Pubertatem, in sexu praeferit sequiori, & loci, quod itinere fieri deberet, & vietus mutatione, caussae, nempe illius connutritae ablatione, propter quam violenti isti motus instituuntur. De Epilepsia Adulorum, cum superius eam omiserimus, breviter tantum notamus, quod hic morbus ambigat quasi inter Chronicos & Acutos; tota enim eius duratio satis longa, & ad mortem plerumque aegrotantes comitur, singuli vero paroxysmi brevi transiguntur, & habent hi iterum, circa tempestatum mutationem, & sub austrina & humida aëris constitutione, ex observatione Hippocratis de Morb. Sacr. C. XIII. v. 5. peculiarem a Lunae motu determinationem, ita ut observatione vulgari constet, eos plerumque circa Novi & Plenilunia redire, quin nec intermedia tempora circa Quadras excludenda esse. Ipsis vero Grandiusculis, Aph. est 26. tonsillarum Inflammationes, vertebrae, quae ad occiput, Introluxationes, Asthmata, vesicae Calculi, Lumbrici rotundi, Ascarides, Verrucae pensiles, Satyriæ, Stranguria, Strumæ & alia Tubercula præcipue vero prædicta. Definiunt hoc tempus septem octo annis, qui in Aphorismos commentati sunt, ab anno videlicet 4. aut 5. ad 11. vel 12. & tum eveniunt, ob caussas superius memoratas, Inflammationes tonsillarum & Satyriæ seu parotidum Tunores, sicuti hanc vocem convenientissime interpretatur Galenus, (quod videlicet, qui huiusmodi Tumoribus infestantur, Satyrorum faciem repraesentent) Strumæ, Verrucae pensiles & alia Tubercula, effectus prædictarum Inflammationum, Stranguria, ob Calculum, quem ab hereditate dependere, non sine ratione existimat Stahlius: Asthma, non pectorale, sed stomachicum, ab ingluvie & liquaminibus hinc putridis, quibus deinde Lumbrici & Ascarides innidulantur. De Luxatione in occipitio ita statuit Hollerius, eam fieri ex Inflammatione tonsillarum, quando musculis simul inflamentur, ita ut trahant vertebram secundam, quam Hippocrates alibi dentem appelleret, ad interiora. Nobis iste morbus incognitus est, habemus vero alios:

alios: Crinones, Tussim convulsivam, & Rachitidem. Putat *Ortolobius* in *Diss. de Rachitid.* designari eam ab *Hippocrate* per *Strumas*, *Asthmata* & *Luxationem vertebrarum*, ideoque nomine potius & accuratiore cognitione, quam ortu novam esse; verum existimare nefas videtur, morbum tam insignem, vel ab *Hippocrate*, vel ab eius posteris, per tot secula tam negligenter tractari potuisse, cum leviores multo affectus, multo maiori studio ab ipsis descripsi sint. Seculum fere est, ex quo primum observari coepit in Anglia, unde, licet contagiosus non sit morbus, per universam fere Europam se explicavit. Corripit plerumque 6. 7. & 8. a nativitate mense, indeque ad annos aliquot producitur, donec videlicet motu exercere membra incipiunt Infantes; quos ante quinquennium non deserit, vel medicamentorum uso non curatur, per omnem vitam valitudinarii dicuntur. Quaenam huius morbi sint causae & ratio formalis, de eo nondum satis explorata res, nec ea huius loci est.

Adultioribus autem & Puberibus, Commemoratorum multa accidunt, & Febres etiam diurniores, tum etiam sanguinis profluvia ex naribus. Prosequitur *Aph.* hoc 27. Pueritiam a 7. ad 14. & Adolescentiae partem ad 17. & 20, inde annum *Hippocrates*; cum vero *Aphorismo* praecedenti notaverimus, tempus, quo morbi isti oboriti soleant, a Commentatoribus circumscribita 4. ad 11. annum, primi nempe Septenarii medio, ad secundi usque dimidium, ita ad hunc advertunt. Adultiores esse ab Aetatis anno septimo, Puberes ab 11. 12. ad 17., idque omnino ex natura rei; observatur enim Haemorrhagianarium, eo praecipue tempore, ab anno nempe 11. ad 14. & 17. potissimum accedere. Tum etiam patet exacta proportio & analogia inter statum naturalem & praeter naturalem, quando Acuti morbi non tantum per Septenarii, sed & hos dimidiatos moventur, atque horum deinceps Quaterniorum videlicet, vis extenditur tantum ad diem 21., tertium nempe Septenarium, Septenarii vero inde valent ad 40. circiter, post quem eorum vis elangescit, Chronicci vero ex Aetate pendentes, quod priores Septenariis, id hi, Septimanatum ultimo termino, Mensibus & Annis perficiunt; id quod latius deprehendit *Hippoc.* *Aph. subseq.* 28. nempe quando plerosque pueriles morbos, diuturnos videlicet alios quidem 40. diebus, alios 7. mensibus, alios 7. annis, nonnullos ad Pubertatem iudicari scripsit: quicunque autem permanerint, neque Pueris ad Pubertatem, neque feminis cum menstrua eruptura sint, soluti fuerint, eos in veterascere. Ad quem locum doctissimus ille *Hollerius* observat, qua-

dragesimum magna ex parte, primum in morbis longis Puerorum, Aetatum videlicet, esse iudicatorium, qui finis sit Acutorum in rnis merantur: inde dies esse decretorios 60. 80. 120, postea menses, deinde annos, ut 7. menses, 7. annos. Etiam si enim & ante possint finiri morbi, hots tamen terminos plurimum habere momenti: ita quidem diebus 40. Diarrhoeas, molestae dentitionis soboles, 7. mensibus Ulcerolas manentes capitum, 7. annis Epilepsiam terminari. Sicuti vero hi termini in morbis Puerorum observantur, ita porro proiectiores Aetates successivam ab annis mutationem accipiunt, & perit tum etiam a tertio aut quarti Septenarii dimidio, Quaternariorum vis, Septenarii vero magis dominantur, ad annos 40. vel 42. & 49. a quo tempore & in Feminis, affectus, ex naturali mensium suppressione pendentes, oboriuntur, & in Viris (robustioribus praecipue a 56. seu octavo Septenario) morbi Senum ingravunt, qui fere permanent & ad mortem usque comitari solent. Pu-  
beres igitur, quibus videlicet lanugo enascitur, & quando incipiunt τρέ-  
ψειν καὶ αὐθοδίαινειν, multos ex superioribus Morbis & Febribus diurniores, a voracitate & colluvie verminosa pendentes, & sanguinis e naribus profusiva patiuntur, ab Aetatis anno II. ad 17., ita tamen, ut nec qui sunt ab anno 7. excludantur, & extendit fere hunc terminum ad 4. usque Stahl, ait enim de Morb. Aetat. C. II. inter 4. & 7. annum increbescere duos eximiae considerationis affectus, Haemorrhagiam narium, & Dolorem capitum aestuantem, aut horum loco, in differente temperamento, Coryzam & Gravedinosos capitum dolores, quae circa Pubertatis tempus, in malculis praesertim, permanere asserit, cum succedentibus circa fauces pathematis Inflammatoriis. Caussas celebrat Plethoram manifestissime praesentem, propter quam fiant molimina excretoria, ad caput praecipue, ob sanguinis mortum eo iam copiosus directum, dentitionis tempore, & continuato postea huius affluxu sub disciplina, in rationis, phantasie & memoriae exercitio, praesertim intempestivo illo matutino, inter urbanos, litteris aequae ac mechanicis artibus destinatos, rusticis autem Pueris nocere curstiones, capite pedibusque nudis sub dio, Sole ardente, domi pavimentis frigidioribus, quamvis hi ratus, sub duriore affuefatione, liberiore autem vitae genere, huiusmodi affectibus subiiciantur. Quae quidem caussae praesentius in effectum deducantur, si accedant praeterea aliae occasioneles, quales sunt Orbiliorum plague & percussions capitum; lapsus, ictus, nifus, inclinationes & motus corporis insolentes, insuetus vini usus, vel abusus potius, compressio & scalptio narium,

unde

unde, si semel datus fuerit exitus, Natura, tanquam utiles & proficiens, repeteret discat hosce motus, & tandem eos in absuetudinem trahat; si vero, vel ob spissitudinem sanguinis, vel pororum angustiam, vel repentina & impetuosa molimina perruptio frustretur, supervenire Inflammatorios parotidum, oculorum, & faecium affectus, & ex his tandem, Temperamento & Sexu faventibus, Cararrhales exsudationes. Vel succedaneis etiam hisce depletionibus & consumtionibus non procedentibus, respondentem praesertim Temperamento & agiliore activitate vitali, convulsivi supervenire possunt affectus, ex quibus ea species est, quae Chorea S. Viti appellatur, & ex Sydenhamii observatione, a 10. Aetatis anno ad Pubertatem usque Pueros Puellasque invadit.

Morbi hi, testatur ita *Hippocrates Coac. Praen. C. III. v. 395. & seqq.* ante Pubertatem non sunt: Peripneumonia Pleuritis, Podagra, Nephritis, Varix circa tibiam, Fluxus sanguinis, Cancer non congenitus, Vitiligo non innata, Defluxus medullae spinalis, Haemorrhoides, Volvulus non connatus. Horum morborum nullum ante Pubertatem fore expectandum est. Verum ab anno 14. usque ad 42. natura corporis morborum omnis generis ferax sit. Et dum in sequentibus hos morbos a Senectute excludit, Aetati, a 14. anno, ad 42. illos tribuisse viderit. Cum vero haec Aetas valde lata sit, ita ut secundum *Aph. 29. & 30. S. III.* hi morbi rursus inter se distinguendi sint, quia proprie Adolescentiae tribui debeant, non constat. Videtur igitur hos Hippocrates neglexisse, vel potius consulto de iis tacuisse, cum nulli fere sint, exceptis Puellarum, a menstruis denegatis successibus; & revera affectibus, Haemorrhagiis quorundam exceptis, sanissimi eo tempore homines sunt, tum quod Pubertas pueriles solverit morbos, in Masculis per seminis generationem, in Femellis vero efficacius menstruorum eruptione, tum quod hoc, prae aliis, tempore energia illa structoria eminentissime valeat, & ultimum fere complementum accipiat, quod cum sine insigni consumtione nutritiae lymphae perfici nequeat, praeripitur inde materia morbis ex plenitudine nascentibus. Enimvero post Aetatis annum 17. in Adolescentia nempe florida, quando corpus, in feminino quidem sexu plenariam, masculino vero potissimum proceritatem acquisivit, alia fit rerum facies: redundant alimentaris humor, & delibatissima eius portio spermaticis vasibus in alienos usus reconditur, unde quidem pro destinato usu imponendo, anxia sunt desideria, quae nisi expletantur, Fallopianae Feminarum tubae classicum canunt, & concitatis turbis Oeconomiae animalis tranquillitatem evertunt: Mares anhelant & suspiria trahunt, latenterque pectoralrum sentiunt. Sanguis

enim copiosissime intus praesto est, & primam semper, pulsu teste, ab Animae affectione alterationem accipit, unde quidem copiosissima pulmonum vasa, laxa quasi & libera in molli illa substantia & extensioni cuivis obnoxia, distenduntur, quorum robore superato periculose restagnations & spasticae congestiones fiunt, ut quidem ingentem illum consensum inter pectus, mammas, genituram & vocem, Hippocrati Epid. L. II. S. I. v. 44. aliusque passim locis, quos allegatos vide in Baglivi Pr. Med. L. II.C. VI. §. 10., priusdem perspectam, hic non adducamus. Hoc itaque statu, iis praecipue affectibus, quos Hippocrates in principio Aph. 29. nominat, fores aperiuntur: Iuvenibus, inquit, Haemoptises, Phthises, Febres Acutae, Epileptiae, aliqui morbi, maxime vero praedicti accidunt. Phthisis vero fit plerumque a 18. Aetatis anno usque ad 35. secundum Aph. 9. S.V., Adolescentibus ab anno 18. ad 25. vel 28. Iuvenibus inde ad 35. Et praecedit saepe Haemoptisis, & hanc etiam praegrediuntur, vel Catarhalis acrior dispositio, vel familiarius Haemorrhagia narium, in Maribus per Aetatem, vel incongrua medicamenta repressa, vel in Feminino. Sexu evacuationes menstruae impeditae. Unde quidem, si materiali causae, Plethorae, & speciali deinde determinationi ad pectus, superveniant externae occasione, sermocinatio intenta, vociferatio, contentio repellitoria Spiritus, citatus cursus, calus &c. tanto promptius in actum deducuntur priores. Sunt & possunt alio etiam tempore Tabes ex ulceratione quapiam, renum v. g. provenire, a pulmonali ideo probe discernendae. Febres Acutae, Biliosae praecipue & Inflammatoria, huic & subsequenti etiam eveniunt Aetati, unde eas repetit Hippocr. in Aph. 30. Ultra hanc Aetatem, inquit, profectis Asthma, Pleuritides, Peripneumoniae, Lethargi, Phrenitides, Febres Ardentes, diurna alvi Profluvia, Cholerae, Dysenteriae, Lienteriae, Haemorrhoides oriuntur. Quo simul cum Iuventute, consistente Virilitatem, ad annum nempe 42. comprehendit. Fiunt igitur hisce Ardentes & Acutae Febres, cum Inflammatoris morbis, ob sanguinis statum & materiae biliosae, non satis contumacae, abundantiam; idque tum ex diaeta in hac Aetate acriore & vinosa, tum ob motus corporis aequa ac animi vehementiores. Adolescentibus sigillatinis provectioribus & Iuvenibus, si contentiones & congestiones ad exitum non pertingant, efferae siccae Tusses fiunt, & Asthma spasmatica periodica, Tubercula seu Vomice cum succedente ulceratione, unde Phthisis memorata, aut latiores Inflammatoriae stases Peripneumonicae & Pleuriticae in internis, externe vero Spasmi & tensiones in cervice, nucha, scapulis.

scapulis, humero, thorace, unde Pleuritides notiae & Rheumatismi. Post hos morbos; vel etiam antea in eorum defectu, accedente praesertim damnosof Litteratorum vitae genere, maturius quam ex motus determinati natura, alias contingere, deflectunt ista congestoria molimina ad venam portae, unde primum quidem negotium spectat ad vomitum cruentum, in Mulieribus praesertim, inde vero ad Haemorrhoides internas, quibus exitum non sortientibus, calamitosa Hypochondriaci mali luxuriosa seges fit, in omnes fere corporis partes late disseminans. Quae congestiones inter Iuuentutem & Virilem Aetatem, sub vita otiosiore, motibus corporis rarioribus sed succulatoriis, praeципue autem aphrodisiis abusibus, ad lumbos si transferantur, Nephritis primo simplex, mox sub pelvientium usu, calculosa procuratur, unde porro expedita via est ad decubitus circa os sacrum & coxendices, malum ienipe Ilechiadicum, a quo nomini loco & gradu differt Gonagra & Podagra. Sunt nimirum & vigint sub hoc statu, Virili nempe, reciprocationes & translationes de internis ad externas Haemorrhoides, quantum scientiam cognitionem magno Stahlui ingenio debemus. Cum vero externalium fluxus, multis de caussis, longe impeditior sit prae internis, a lumbaribus partibus (videtur enim nobis Mictus cruentus Nephriticorum antehac molimum, vel etiam recurrentium saepius Podagricorum spasmorum eventus esse) spasticas istas contentiones magis protendi, quam sursum asurgere par est; tanto magis cum venorum cruralium vasorum inflatio, a Sydenhamio in se ipso deorsum tendere observata, clare testetur, institui haec molimina pedes versus, pro impetranda varicosa, procudubio, manatione, quae cum difficultima sit, & nunquam fere impetratur, frustranei isti motus, non amplius quidem primum finem respiciunt, aut ad expressionem ipsam tendunt, sed magis iam sub febrili statu, ad lentam consumtionem & distillationem, tum per sudores totius corporis, (post singulos particulares paroxysmos quos matutinos, & ab his doloris liberationem obseruavit Sydenham) tum partis etiam affectae. Ubi notabile est, quod cum plenitudo ista omnis in serum converti & divaporari nequeat, vel quamvis etiam in vapores resolvatur, spissiores tamen remanere debent, quae deinde furfuris istar de partibus affectis abscedunt, & moraciories factae, pruritum molestum inferunt, vel sub diurniore & vehementiore malo, accedentibus praesertim externis refrigerationibus & perversis tractationibus, in nodos & cophos tandem condensantur.

Rursus, pergit *Hippocrates*, loco quem superius allegavimus, *Coac.*  
*nempe Praen. C. Ill. v. 398. 99. ab hac Aetate 42.* videlicet, usque ad annos  
63, non sunt strumae, neque Lapis in vesica, nisi prius existat, neque De-  
fluxus medullae spinalis, neque Nephritis, nisi ex alia Aerae comitentur,  
neque Haemorrhoides, neque Fluxus sanguineus, nisi prius fuerit: hi  
usque ad Senectutem absunt morbi. Tanta confidentia de Aetatum morbis  
pronuntiavit *Hippocrates*, ut Strumas & Vesicae Calculum, morbos pue-  
riles, Nephritidem vero Aeratis consistentis affectum, a Senectute, ni  
prius adfuerint, penitus absesse statuat. Defluxus medullae spinalis, (ita  
verit *Cornarius*) quid sit, non adeo planum, ni per eum Congestiones  
illae spasticae & rheumaticae, in cervice, in nucha, humero & scapulis ad  
lumbos usque, quae in Iuventute & Virilitate contingunt, & a Stahlia  
passim explicatae sunt, designantur; sane enim aliud non sonat ipse textus  
Hippocraticus: *κατάρρησις νεφρίας*, Catarrhus dorsi, ubi sicuti Catarrhus  
stricte dictus intelligi nequit, cum sensibus hunc affectum familiarem dic-  
cat ipse *Hippocrates*, ita contra dorsum hic latius tumitur (*νεφρίας*, dor-  
salis, ad dorsum pertinens) pro toto dorso, scapulis videlicet, cervice,  
immo thorace ad lumbos usque, quo sensu vox haec explicatur tum  
a *Foësio*, tum a *Gorraeo*, ut nobis propterea mirum sit, qui ad medula-  
lam spinalem, specialius deslexerint Interpretes. Pergit *Hippocrates*, &  
neque Nephritidem, neque Haemorrhoides neque Fluxus sanguineos in  
hanc seniorum Aetatem, ni prius adfuerint, cadere asserit. Fit nempe  
iste transitus moliminum, de Haemorrhoidibus internis ad externas, ex  
observatione Stahliana, maturius, in confinio Iuventutis & Virili-  
tatis, ut superius recensuimus, & sub ambiguitate successus, incon-  
grua praesertim medicatione superveniente, velitationes circa renes, in-  
de vero, sub difficultate exitus tumultuosae contentiones & irruptiones  
in vasa, Haemorrhoidalibus externis connexa. Licet igitur molimina  
ista serius aliquando conspiciantur, non tamen perruptio aequa obser-  
vatur, seu Haemorrhoides, potissimum externae, non succedunt. Cuius  
quidem ratio non improbabilis videtur, naturalis energiae vitalis, circa  
annum 42. consistentia, & post 49. maxime autem 56, manifesta remissio,  
ut molimina quidem instituantur, sed incompleta, insufficientia & fru-  
stranea, sine fine impetrato, qui est *Hippocratis πέπλος αἰωνίων*, fluxus tan-  
guineus bene procedens, sub quo & narium Haemorrhagia & Haemo-  
ptyxis & Haemorrhoides comprehenduntur. De Mictu Sanguineo, Se-  
nioribus adveniente, dubium esse posset; Verum ut raritatem eius non  
memo-

memoremus, novimus eum in florida Virilitate aliquoties, corpore reliquo sano, post motum vehementiorem, sive Calculi aut Nephritidis suspicione accidisse, & si in Virilitate consistente & Senectute postea superveniat, videtur is non nisi eventus malus Nephriticae aut Ichiadicae passionis esse.

Qui denique morbi Senibus praeципue adsint, docet *Hippocrates Aph. ultimo Sect. nostrae*: Senibus, inquit, Difficultates spirandi, Catarrhi tussiculosi, Stranguriae, articulorum Dolores, Nephritides, Vertigines, Apoplexiae, Cachexiae, Pruritus universi corporis, Vigiliae, alvi, oculorum & narium Humiditates, visus Hebetudines, Glaucedines, & Auditus graves. Magnum morborum agmen est, quod hic recenset *Divinus Praeceptor*, tot nempe affectibus subiicitur Senectus, quae latissimè energia vitali, & actionibus inde vitam conservantibus, motu sanguinis propulsorio, conqualstorio, attenuatorio & repulsorio, sed praecipue secretionibus & excretionibus, vera ultima vitalitatis instrumentalis ratione, segnius administratis, quae, inquam, ipsa propterea Morbus sit, quatenus hac ratione, excrematione illa, his amandari solita, in sanguinis massam redundant, unde variae fiunt congestiones, stases & decubitus in omnes partes, serosae quidem Catarrhorum & Defluxionum in pulmones ad vesicam, nares, aures, oculos, in habitum universum, unde Cachexia, Pruritus, Difficultates spirandi, Catarrhi tussiculosi, Stranguriae, alvi, oculorum & narium Humiditates &c. Sanguineae autem, motuum cluetiorum, sed non eructatorum, seu Spasmodorum incompletorum fibrillarum caussae, unde articulorum & podagric Dolores, quos supra attigitus. Nephritides adsunt, & sub hac Aetate commoventur, prioribus annis factae, & cum ob diuturnitatem suam, tum ob materiae serosae salsa continuam praefentiam, tum ob dictam generalem caussam, activitatis vitalis imminutionem, acre & vix curantur, secundum *Aph. 6. S. VI.* & testatur disertis verbis *Hippocrates Epid. L. VI.* nunquam se vidisse curatum Ulcus renum & vesicæ post 50. annum. Vigiliae, cum nihil aliud sint, quam vigilantia, cura & prudens circumspetio Animaæ de iis rebus, a quibus periculum ipsi metuendum erat, huic propterea Aetati, longo usu edo&tae & multis damnosis experimentis curiae factæ, peculiares sunt, & quem a mortalibus occasionibus habitum sibi Anima comparavit, transfert prompte ad vitales curas, & circumspeta vigilantia continuas agit excubias, etiam si materiales etiam caussæ non semper praestò sint. Quæ quidem verisimillima ratio nobis videtur, quod secundum *Aph. 39. S. II.* Senes ut glutinum

plurimum minus aegrotent, quam iuvenes, sed qui ipsis diurni morbi contingant, eos fere ad mortem usq; comitentur. Acutiores autem morbi ex Aph. 14. Sed ipsis ratiis enascuntur, & hac etiam de causa, potiore morborum numero eximuntur; unde quidem hoc posteriori sensu, de diurnitate tempe & individuis intelligendus est ipse *Hippocrates*, quando *de Diaet.* L. 1. Pueros maxime sanos, secundo loco iuvenes, Senes vero morbosissimos vocat. Aetas enim media in universum, vario omnino morborum generi est exposita, tum ob intemperantiam & errores externos, tum ob desultorias & inordinatas saepe in expertae energiae vitalis amoliendi & emovendi rationes, quas cara *Senectus* prudenter corrigit & devit; ubi vero sigillatum quidam morbo aliquo corripiuntur, tum utique per omnem vitam sollicita & indesinens cura viget, quamvis, quod activitas & efficacia energiae desit, levitus rarius respondeat. Obiter hic notamus & sagaciorum pensationi commendamus Aph. 53. S. II. Quibus alvus est humida, iuventutem quidem agunt facilius, iam qui eandem siccum habent, sed *Senecture* difficilius defunguntur; ipsis si quidem senescentibus fere resiccatur: & Aph. 20. *Einsd Sect.* Quibus iuvenibus humida est alvus, iis senescentibus resiccatur, quibus autem iuvenibus secca est, iis senescentibus humida laxaque fit. Cuius quidem causas nos ignorare fatemur, nisi quod habitus corporis laxus aut strictus, & pro huius ratione, moderamen insensibilis transpirationis, hic aliquod momentum habere videatur. Restant inter seniles affectus, Vi-sus hebetudo & Auditus gravis, quae non tantum ob redundantiam seri relaxantis, sed & remissionem atque fatigentiam activitatis vitalis contingunt, quatenus istiusmodi flaccescencia in tenerissimis organis & membranis eo praesentius animadvertitur, quo magis pro sensu praestando legitimus tonus & tensio harum partium requiritur. Et demum gravissimae omnium endandae veniunt Vertigines, & quae eas subsequuntur Apoplexiae. Apoplexiae autem fiunt maxime a 40. anno ad 60. usque, Aph. est. 57. S. VI. Torquet hic non leviter *Commentatorum* animos, quod *Hippocrates* morbum hunc iam a 40. fieri dicat, cum omnium, & ipsius etiam, consensu, si maxime senilis, & querunt iis subsidium aliquod a distinctione Apoplexiae in Pituitosam & Sanguineam, de qua posteriore in specie advertunt & accusant melancholicum succum, seu sanguinem melancholicum &c. Nobis *Hippocrates* Senum affectus non ita tarde, sed maturius enumeravisse videtur, quod constare poterit aliquatenus ex loco Coac. Praen. superius recensito, sed praeципue ex hoc nostro Aphorismo, quo articulorum seu podagrī Dolores manifeste nominantur, de quibus sane in vulgo notum est, quod & ante 40. annum acci-

accidere soleant; licet hoc in iis tantum, qui liberius & inordinatus vive-  
re, vel hereditate paterna praediti positi fuerunt. Videtur nobis porro *Hip-*  
*ocrates* optimus fui interpres esse, immo non tantum interpres, sed & for-  
malem proxime rationem horum affectuum dedisse *Aph. antecedente*, quan-  
do morbis melancholicis per haec tempora (Veris & Autumni) suspectos  
humorum d' cubitus, vel Apoplexiā, vel Convulsionē, vel Maniam, vel  
Caecitatem denuntiatae dixit; nimurum quando ista inferioris ventris, &  
quae inde procedunt, pathemata non amplius se ibi formant aut formare  
possunt, translations, congestiones & decubitus alio fiunt, ad pectus &  
caput praecipue, maxime si prioribus moribus & annis, eo iam factae fue-  
rint. Non est autem mirum ad & in caput praecipue impetus istos vergere,  
subordinaria illa grandioris Aetatis successiva emarcescentia & habitus cor-  
poris exterioris naturali constrictione, cum illud minime omnium tenet va-  
leat. Quis enim non agnoscat vasā huic copiosissime inclusa, distendi & di-  
latati posse amplissime, ad rupturam usque in molli illa & pulposa substantia,  
nullo notabili exterio rōtico (ni quis id a meningibus arcēsat) &  
musculoso robore firmata. Ac fortassis feralis hic affectus ingruit praecipue  
in illa Aetate, qua activitas vitalis sensim se contrahere & ad quietem se  
componere solet, quando nempe ipsa cerebri moles in tono suo relaxa-  
tur, ut cuivis impulsu cedere debeat, seu id iam immediate a conticetcen-  
tia & diurno Animi radio, seu ex defectu aliquius valde subtilis mate-  
riae contingat. Observatur autem frequentius Apoplexia circa & post 56.  
Aetatis annum.

Atque ita tandem nobilissimae huic materiae finem imponimus, cu-  
ius usus amplissimus est, tum in Diagnosi, potiori Medicæ Artis parte, tum  
in Prognosi, quando non tantum prompte cognoscere possumus, Aeta-  
tis cuiusque & Temporū morbos proprios, quos cognitos deinde cura-  
re facilis est, maxime si congrui sint Aetati, consuetudini & temporī, se-  
cundum *Aph. 34. S. II.* sed & praedicere valemus, quibus morbis aliquis  
laborarit, quibus teneatur, & quos posthac perspessurus sit, praesertim si  
coniungamus eam, quam a Temperamentorum doctrina habemus, noti-  
tiā: possumus praeterea accuratius mederi morbis, Acutis praesertim,  
quando temporibus Medicina valer, & novimus quid agendum sit, mor-  
bis fientibus, factis & vigentibus, quae is & qualibet mutationes eveni-  
ant & eventurae sint, certo tempore, die & hora, quamvis nos summa-  
tantum capita pertractaverimus, cum specialissima tractatio & prosecutio  
utilissimae huius materiae peculiarem & luculentam magis evolutionem

& Librum potius, quam Dissertationem sibi depositar. Multa quidem etiam circa rō dītri in nostra hac tractatione omissa fatemur, verum tum ob dūvītār huius materiae naturam, tum quod haec res a Medico usū longe absit, non inconfuso manus inde abstinuimus; tā dītri itaque & practica, quae inde resultat, utilitate contenti merito hisce acquiecamus, DEO Ter Optimo Maximo sit Laus, Honor & Gloria.



## ELENCHVS DISSERTATIONIS.

### CAPVT I. De Temporibus Morborum in Genere.

Pag. 5.

**N**omen, pag. 5. Descriptio Temporis, 6. Differentia Temporis prima, a caussis internis, materia nempe & moru, quod fundamento sum est morborum Acutorum & Chronicorum, 6. 7. Differentia Temporis secunda, a caussis externis, anni statu & qualitatibus aeris, vel manifestis, unde potissimum Sporadici 7. 8. 9. vel occultis, unde Epidemici dependent morbi, 10. Reassumptio manifestarum qualitatum, 10. II. Reassumptio occultarum qualitatum seu arcanae aeris Constitutionis, & huius divisio triplex, 12. Differentia Temporis tercia & specialis, de initio, incremento statu & declinatione morborum aequa ac paroxy/morum, 13. Utilitas huius doctrinae, 14. 15. De Diebus Criticis, 16. Indices, 17. Intercidentes, 18. Vacuë & Medicinales, Ibid. Caussae Dierum Chronicorum, 20.

### CAPVT II. De Temporibus Morborum in Specie.

Pag. 21.

**M**orbi Acuti vel expassiva & mixta laesione pendente, & plerumque Sporadici sunt, 21. Colica nimirum, 22. Itens, Ibid. Cassaribus,

Carrhus suffocatus, 23. Syncope, Ibid. apoplexia, Ibid. Paralysis, 24  
 Catalepsis, Ibid. Ischuria, 25. vel activas motuum laesiones pro  
 fundamento habent, quales sunt Febres Primariae omnes, Ibidem  
 quae sunt vel Intermittentes, vel Continuae Ibid. Intermittens  
 Tertiana, 26. 27. 28. Quartana, 29. 30. 31. Quotidiana, 31. Con-  
 tinua Quotidiana, 32. 33. 34. Continua Tertiana & Causus Veterum,  
 35. 36. Cholerae, 36. Harum differentiae & distinctio ab invicem,  
 Ibid. & 37. Epiala & Syncopalis Febris ad Continuam Quotidianam  
 pertinent. 38. Lipyria est Biliosa controversa, & cum Tertiana Con-  
 tinua Duplicata atque cum Semiterterna convenire videtur, Ibid.  
 Ratio Paroxyzantium & Continentium Febrium, 39. Continentes  
 sunt Febres Inflammatoriae, & sunt vel Primariae & exacte ra-  
 les, quae typo quidem destituntur, periodo vero gaudent, 39.  
 Quales sunt Synochus, Ibid. & 40. Variolae & Morbilli, 41. 42. 43.  
 Scarlatina Febris, 44. Pestis, Ibid. & 45. Petechiae, 46. 47. (ratio  
 brevitatis termini in Posto & Rosechiali Febre, 48.) Dysenteria, 49.  
 Sudor Anglicus, Ibid. vel Secundariae, quae typo carent, & multae  
 etiam periodo & certis crisiis, 50. Harum aliae Acutae, aliae Len-  
 tiae sunt: Acutae vel coniunctam habent caussam internam, us  
 Pleuritis, 51. Peripneumonia vera & nota, 52. Angina, Ibid.  
 Phrenitis, Ibid. Ophthalmia, 53. Cholera & Causus Stahl. Ibid. Ne-  
 phritis, Ibid. Febres Secundariae reliquorum abdominis viscerum,  
 Ibid. & 54. vel a caussa magis externa pendent, 54. Inflammatio  
 Apostematodes, Ibid. Furunculus, Ibid. Febres Vulnerariae & mor-  
 bis Animalium venenatis supervenientes, 55. Lentae Secundariae  
 Febres, quibus initium sit morborum Chronicorum, 56. Huius loci  
 sunt rheumatismus & rodagra, Ibid. Hebetica Febris & Iphthisis,  
 57. Chlorosis, Ibid. Scabies & Lepra, 58. Lues Venerea, Ibid.

## CAPVT III.

## De Morbis Actatum,

Seu Commentatio brevis in Aphorismos Hippocratis, 2. &amp; 18.

Sect. III. l. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. &amp; 31. Eiusd. Sect. It.

Praen. Coac. C. III. v. 395. ad 400.

*A*rgumentum hoc nobilissimum tantum ab Hippocrate & Stahlio tractatum est. 58. Motus vitalis septenario gaudet. 59. Consideratio Naturarum & Actatum ad anni Tempora & Temperamenta. 60. 61. Morbi Infantium. 62. 63. 64. Puerorum. 65. 66. Adolescentiae. 67. & Juventutis morbi. 68. it. Virorum. 69. & 70. Seniorum. 71. & 72. cum rationibus singulorum per totum Caput. Epilogus & Commendatio huius doctrinae. 73.

## Errata.

L Egatur pag. 8. lin. 20. in illis libentes exhibeamus, neque uramus quae circa ventrem, neque &c. p. 9. l. 9. Aph. II. 12. &c. p. 12. l. 8. humido-frigida. p. 13. l. 13. pro quibus, qua. p. 15. l. 16. ex. p. 16. l. 8. etiam. l. 14. chylificationis. p. 17. l. 24. eo tempore. p. 20. l. 17. interna. p. 21. l. 23. obseruantur. p. 22. l. 4. tractabimus. p. 24. l. 23. quaternario. p. 27. l. 26. remixta. p. 29. l. 10. Natura. l. 38. Auctumnales. p. 33. l. 6. destituta. p. 34. l. 38. atmosphaeram. p. 42. l. 35. quidem. p. 43. l. 34. 35. inquietudo. p. 44. l. 16. truculentissima. p. 46. l. 36. factas. p. 48. l. 2. dies. l. 18. latam & citam. p. 52. l. 5. defruat. l. 6. plerunque. l. 7. imminutam. l. 8. alias. l. 23. Germaniae. p. 54. l. 33. ac tensio accedunt, statum, si haec &c. l. 36. iuxta. p. 55. l. 35. determinatur. p. 59. l. 24. Senioris. p. 60. l. 26. sunt. p. 61. l. 7. refrigerantia. p. 62. l. 19. fuerit. Cetera B. L. corript.

F I N I S.








Ug 172  
SI

ULB Halle  
003 018 105

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-252921-p0082-1

DFG



4

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA.  
DE  
**AETATE**  
**ET**  
**TEMPORIBVS**  
**MORBORVM,**  
*QVAM*  
Praeside Archiatro Optimo Maximo,  
Auctoritate & Suffragio Gratosissimae  
Facultatis Medicae  
*IN*  
**ALMA LUDOVICIANA**  
**PRO LICENTIA**  
*Summos in Arte Medica Honores, Iura & Privilegia*  
*Doctoralia legitime impetrandi,*  
*MAGNIFICI & EXCELLENTISSIMI*  
**SENATVS ACADEMICI**  
*Placidae Disquisitioni submittit*  
**WILHELMVS RYCHNERVS,**  
*AROVIO - HELVETIVS.*  
Ad diem Novembris Ann. MDCCXVII. H. A. L. C.  
GIESSAE - HASSORVM,  
Literis VIDVÆ IOH. REINH. VVLPII, VNIV. TYPOG.